KUTSU NIIHIN JULKISIIN ESITELMIIN

JOITA PROFESSORIT

KAARLE LEOPOLD KROHN JA KNUT HUGO PIPPING

30 P. TAMMIK. 1909

SEKÄ PROFESSORI

JUHO HEIKKI VENNOLA

6 P. HELMIK.

PITÄVÄT VIRKAANASTUJAISISSAAN

INBJUDNING TILL ÅHÖRANDE AF DE OFFENTLIGA FÖREDRAG

MED HVILKA PROFESSORERNE

KAARLE LEOPOLD KROHN OCH KNUT HUGO PIPPING

DEN 30 JANUARI 1909

ÄFVENSOM PROFESSORN

JUHO HEIKKI VENNOLA

DEN 6 FEBRUARI

TILLTRÄDA SINA ÄMBETEN

PARATACTICA LATINA I

SCR. F. GUSTAFSSON

HELSINKI 1909 HELSINGFORS

KUTSU NIIHIN JULKISIIN ESITELMIIN

JOITA SUOMALAISEN JA VERTAILEVAN KANSANRUNOUDENTUTKIMUKSEN PROFESSORI
SUOMEN KEISARILLISESSA ALEKSANTERIN YLIOPISTOSSA
FILOSOFIAN TOHTORI

KAARLE LEOPOLD KROHN

JA POHJOISMAISEN FILOLOGIAN PROFESSORI FILOSOFIAN TOHTORI

KNUT HUGO PIPPING

PITÄVÄT VIRKAANASTUJAISSISSAAN

30 P. TAMMIK. 1909


SEKÄ KANSANTALOUSTIETEEN PROFESSORI FILOSOFIAN TOHTORI

JUHO HEIKKI VENNOLA

6 P. HELMIK.

PARATACTICA LATINA I

SCR. F. GUSTAFSSON



HELSINKI 1909

INBJUDNING TILL ÅHÖRANDE AF DE OFFENTLIGA FÖREDRAG

MED HVILKA PROFESSORN I FINSK OCH JÄMFÖRANDE FOLKDIKTSFORSKNING
VID KEJSERLIGA ALEXANDERS UNIVERSITETET I FINLAND,
FILOSOFIEDOKTORN

KAARLE LEOPOLD KROHN

OCH PROFESSORN I NORDISK FILOLOGI FILOSOFIEDOKTORN

KNUT HUGO PIPPING

DEN 30 JANUARI 1909


ÄFVENSOM PROFESSORN I NATIONALEKONOMI, FILOSOFIEDOKTORN

JUHO HEIKKI VENNOLA

DEN 6 FEBRUARI

TILLTRÄDA SINA ÄMBETEN

PARATACTICA LATINA I
SCR. F. GUSTAFSSON



HELSINGFORS 1909

PARATACTICA LATINA

I

SCR. F. GUSTAFSSON

PROGRAMMA ACADEMICUM



HELSINGFORSIAE 1909

HELSINGFORSIAE 1909
SOCIETAS TYPOGRAPHORUM FRENCKELLIANA

INDEX.



Non radicitus quidem hercle,
uerum etiam exradicitus. Plauti Most. 1112.

In parataxi Plautina investiganda comparanti mihi relativa et interrogativa cum permulta occurrerent vestigia *si* particulae et cognararum vocum *nisi, quasi* demonstrative aliquando positarum, hunc prius locum si non omnem perpurgare, at quodam modo aperire saltem et tueri utile visum est, a ceteris praesertim relictum atque etiam desertum [1]).

Ac de origine quidem *si* vocis vix dubitandum videtur quin et ipsa et *sic* ex pronominali radice repetendae sint, unde in celtica lingua exortum *so* (hic) reperitur, in gothorum sermone et alia et *swa* (sic) [2]). In gracea lingua cum βαίκαν, quod Cretum vocabulum ab Hesychio commemoratur, tamquam cum αἴ κεν conferendum, et βαῖ suspecta sint [3]), adiuvante *svai sve* (si) Italorum ne εἰ quidem firmis cognationis vinculis huic radici adscribendum est [4]), quamquam similis recte ei vis adtribuitur atque *sic* et *si* latinis. *Sic* autem et *ita, item* particularum compares apud Italos haud paucae videntur fuisse, praeter locativos oscos *eisei eizeic eisai exeii*, osca sunt *ekss*

---

[1]) Cfr C. Lindskog, Quaestiones de parataxi et hypotaxi apud priscos latinos, Lund 1896 p. 1 s. 55 s. et qui eum hac in re antecesserunt, Weissenhorn a. 1884, Weninger et Becker a. 1888.

[2]) Cfr K. Brugmann, Die Demonstrativpronomina der indogermanischen Sprachen, Leipzig 1904, pag. 29, 39, 51 (Abhandl. der philol. histor. Classe der kgl. sächsischen Ges. der Wiss. XXII 6).

[3]) Καῖ κα· κᾶν apud Hesychium scribi vult H. van Herwerden in Lexico graeco suppletorio et dialectico, Lugd Batav. 1902.

[4]) Dubitanter hoc F. Solmsen Zeitschr. für vergl. Sprachf. XXXII (XII) 277—8 et Fr. Stolz, Histor. Gramm. der latein. Spr. I 1, 141—2, Leipzig 1894; idem cum multis R. von Planta, Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte, Strassburg 1892, I 147; contrarium K. Brugmann, Griechische Grammatik, 3 Aufl., München 1900, p. 533 s.

ekkum, umbrica *eso (esok iso isok isek isunt) surur suront sururont. Si (sei)* latinum apud Volscos fuit *se*[1]), oscum *svai suae,* umbricum *sve sue;* adde *so*pir (si quis). Et comparanda sunt latinum *noisi* (incertum Duen. inscr.) et *nosue* umbricum, *nisi* et *nei suae, sve.*

Iam vero *si* quin aeque ac semper *sic* demonstrativum primitus fuerit quamquam in dubitationem vix quisquam vocaverit[2]), neque *ekss eso surur* illa neque *sic* latinum condicionalem vim recipere reperias, et hanc eandem vim condicionalem aut saltem assumptivam nostro sensu *suae sve si* vix umquam omnem abiudicaveris[3]). Hanc igitur rem sic se habere tibi persuadeas: demonstrativam in *si svai sue sic* (sicut in gothico *swa*) vocibus significationem vetustissimis temporibus fuisse, remansissse in *sic* voce et ipsa illa adiuvante aliquanto diutius in *si* latino, quod post videbimus, verum et *si* et in primis *svai sue* mox abiisse in coniunctionum numerum. Quamquam Italorum inscriptionibus admodum recentibus concedendum est et paucas res contineri neque eas, ex quibus loquentium sermo perspici possit, nedum origines vocum variaeque et quasi vivae propagines discernantur. Neque tamen a proposito nostro alienum est ea dicendi genera percurrere, in quibus *svai* et *sue* sive exstant sive desiderantur, qua in re repetita omisi eiusdem generis exempla, nisi quid singulare praeberent. Locos ex textuum ordine attuli, ne sententiae perspicuitatem neve dialectorum differentiam obscurarem. Numeros adhibui eos, quibus in grammatica sua notissima von Planta utitur, ceterorum tamen textu comparato.

17 (tabul. Bantin.) 10. suae pis pertemust, pruter pan [pertemust], deiuatud . . .
siquis peremerit, priusquam [peremerit], iurato . . .

Primam locativi et interrogantis vim iam difficile est cognoscere, quae talis videtur fuisse: hac in re ecquis peremerit? is . . . Inde

---

1) Cfr F. Sommer, Handbuch der latein. Laut- und Formenlehre, Heidelberg 1902, p. 231. Neque admittendum est Plauti Stich. versui 648 quase, F. Neue Formenlehre der latein. Spr, 3 Aufl. Berlin 1892, II 968 s.

2) Cfr K. Brugmann, Kurze vergleichende Grammatik der indogerm. Sprachen, Strassburg 1902, p. 620, 670, et nuperrime, Berichte über die Verhandl. der kgl. sächs. Ges. der Wiss zu Leipzig LX 1908 II p. 69.

3) Nisi forte hoc loco Plautin. Mercatoris v. 949 s. *si decet* scripseris ex codicibus: Bene uocas, benigne dicis. cras apud te, nunc domi. Sic decet, sic fieri oportet. EV. Eloquni somnias. Nam *c* bis addidit Pius; *heia, quae mi* ex Ussingii coniectura Lindsay; *eloquine somnia?* coniecit V C. Lindström, Commentarii Plautini, Upsaliae MCMVII p. 110 s.

fiebat: hac in re aliquis forte peremit . . . De tempore et indefinita vel modali notione cogitat hoc in usu explicando von Planta (Grammatic. II 486): irgendwann (wann, wenn), irgendwie, wie, quod, si omnem rem et tamquan primigeniam rei naturam spectas, posterius non dubito quin fuerit, quamquam ex hoc ipso quod attuli exemplo minus elucet. Eadem sententia sic continuatur addito *auti* particula novo enuntiato:

17, (11) suaepis contrud exeic fefacust auti comono hipust, molto etanto estud . . .

si quis contra hoc fecerit aut comitia habuerit, multa tanta esto . . .

17, 12. in suaepis ionc fortis meddis moltaum herest, ampert minstreis aeteis eituas moltas moltaum licitud.

et si quis eum potius magistratus multare volet, dumtaxat minoris partis pecuniae multas multare liceto.

Addita *in* voce confirmata olim est, ni fallor, ea, quam ex origine sua traxit *suae* vox, demonstrativa et locativa vis. Hoc tamen exemplum, sicut cetera plurima, ex vivo aliquando sermone minima iam vi expressum est.

17, 13. suae pis pru meddixud altrei castrous auti eituas zicolom dicust, izic comono ni hipid, ne pon op toutad petirupert urust . . .

si quis pro magistratu alteri . . . aut pecuniae diem dixerit, is comitia ne habuerit, nisi cum apud populum quater oraverit . . .

Commemorandum est *ne* alias prohibitive positum, de quo confer quae dixit von Planta (II 486). Maiore vi ponitur et paratactice, sicut *ni* latinum videbimus.

17, 17. suae pis contrud exeic fefacust, ionc suaepis herest meddis moltaum licitud . . .

si quis contra hoc fecerit, eum si quis volet magistratus multare liceto . . .

Coniunctionem iam in repetitis *suae pis* nescio an agnoscas et hypotacticum usum non dubitandum.

17, 19. pon censtur Bansae toutam censazet, pis ceus bantius fust, censamur esuf in eituam, poizad ligud iusc censtur censaum angetuzet. Aut suaepis censtomen nei cebnust dolud mallud, in eizeic uincter, esuf comenei lamatir . . .

cum censores Bantiae populum censebunt, quis civis Bantinus erit, censetor ipse et pecuniam, qua lege ii censores censere proposuerint. At si quis in censum non venerit dolo malo, et eius convincitur, ipse in comitio . . . (verb. coniunct. praes.).

17, 23. pr. suae praefucus pod post exac Bansae fust, suae pis op eizois com atrud ligud acum herest . . . ne pim pruhipid mais zicolois X nesimois.

praetor si(ve) praefectus post hac Bantiae erit, si quis apud eos cum altero lege agere volet . . . ne quem prohibuerit plus diebus X proximis.

Quid hoc loco *pod* agat, utrum *quod* significet an *si*, pro incerto habeo. Sive hoc sive illud est, nisi ex paratactica origine non facile explicatur.

17, 27. pr. censtur bansae [ne pis fu] id nei suae q. fust, nep censtur fuid, nei suae pr. fust.

praetor censor Bansae [ne quis fu] erit nisi quaestor fuerit, neve censor fuerit, nisi praetor fuerit.

17, 29. in suaepis pr. in suae [pis censtur?] . . . tr. pl. ni fuid.

et si quis praetor et si [quis censor (erit)] . . . is post ea tribunus plebis ne fuerit.

127 (Abellan. lap.) 41. ekkum svai pid abellanus tribarakattused, iuk tribarakkiuf inim uittiuf abellanum estud.

item si quid Abellani aedificaverint, id aedificium et usus Abellanorum esto.

128, 4 (Vib.). svai neip dadid, lamatir . . .

si nec reddiderit . . .

5. svai neip, aut svai tiium . . .

si nec, aut si tu . . .

240 (volsc.). sepis atahus pis uelestrom, facia esaristrom.

siquis . . . erit quis Veliternonum, faciat sacrificium.

Alterum *pis* laxatae vel potius nondum satis vinctae orationis signum est.

298 Iguvin. tab. I a, 22. vatuva ferine fetu heri vinu heri puni.

. . . facito sive vino sive posca.

Memorabile est *heri* (vis, velis), praesertim repetitum, quae vera est parataxis. Latini autem non dubito quin *sive* adposito primitus hoc fere voluerint: sicne vis: vino? sicne vis: posca? Simillimum est:

I b, 7 . . . heris vinu heris puni feitu.

. . . vel vino vel posca facito.

18. svepis habe purtatulu, pue mers est, feitu uru, pere mers est.

si quis habet, portato illo, quo ius est, facito illo, quo ius est.

pere hoc loco relativum esse censeo. In eo quod sequitur exemplo ex primigenia interrogatione explicandum videtur (num quid?):

II a. 3. pere karne speturie atiierie aviekate aiu urtu fefure, fetu puze neip eretu.

si quid (quod?) carni . . . Atiediæ auspicatæ . . . orta . . . vit, facito ut non consulto.

16. heriiei faciu arfertur, avis anzeriates menzne kurclasiu facia ticit

velit facere adfertor, avibus observatis mense . . . faciat decet.

Aperta est parataxis, tam in arido argumento digna quae adnotetur; explananda autem est vel ex interrogativa (velitne) vel ex potentiali (vult fortasse) origine.

II b., 9. et naratu puze facefete sevakne, heri puni heri vinu fetu

et narrato ut sacrificabile sollemne, vel posca vel uino facito.

21. vitlu vufru pune heries facu, eruhu ticlu sestu iuvepatre

vitulum . . . cum voles facere, eadem dicatione sistito Iovi patri.

Sicut in latino sermone, sic in hoc fit: temporales enim et condicionales significationes nonnumquam minus discernuntur.

IV, 27. inumek svepis heri ezariaf antentu

tunc si quis vult escas indito.

31. ap itek fakust, purtitu futu.

ubi ita fecerit, porrectum esto.

De *ap* idem dicendum atque de *pon* paulo ante diximus, et idem fieri in *ubi* et *cum* Plautinis videbimus. Quibusdam ni fallor locis *ap* locali vi positum est, temporalem ubique ei von Planta vindicat (Gramm. II 482 „stets rein temporal").

32. huntak piri prubehast, erek ures punes neirabas.

cisternam quam primum piabit, eam illis poscis ne adhibeant.

Rursus *piri* dubium est.

V. a, 22. et ape frater cersnatur furent, ekvelklu feia fratreks ute kvestur, sve rehte kuratu si. Sve mestru karu fratru Atiieriu, pure ulu benurent, prusikurent rehte kuratu eru, erek prufe si.

et ubi fratres cenati erunt, . . . faciat magister aut quaestor, si recte curatum sit. Si maior pars fratrum Atiediorum, qui illuc venerint, pronuntiaverint recte curatum esse, id probe sit.

Insigne interrogativi *sve* (rehte) exemplum in initio huius loci est; fuitne primitus: sicne recte curatum sit. Sed hunc quidem locum alii aliter explicant.

VI a, 7. sue muieto fust ote pisi arsir andersesust disleralinsust.

si mugitum erit aut quis . . . intersederit . . .

Sue huius modi locis, si non hoc ipso in exemplo, videtur referri posse ad primitivam *sic* vel *ibi* significationem, praesertim cum sequentibus *ote pisi* comparatum. De *piri* huius loci cfr. J. Schmidt in Zeitschrift für vergleichende Sprachf. XXX II (XII) 417 s.

16 sue anclar procanurent, eso tremnu serse combifiatu
si oscines cecinerint, sic in tabernaculo sedens nuntiato.

Ut in illo quod antecedit exemplum, item in hoc ex paratactica origine particularum usum repetiverim: hic (ibi) oscines fortasse canunt, atque ibidem nuntiato.

26. persei ocre Fisie pir orto est, toteme Iouine arsmor dersecor subator sent pusei neip heritu.
quod in arce Fisio ignis ortus est, in civitate Iguvina ritus debiti omissi sunt, ut non consulto.

De *persei* nescio an valeant quae de *pon* et *ap* diximus. Vacillantem condicionalis hypotaxis modo natae naturam haec omina declarant.

27. persei tuer perscler uaseto est . . .
quod tui sacrificii vitiatum est . . .

(29). persei mersei, esu bue peracrei pihaclu pihafei.
quod ius sit, hoc bove opimo piaculo piatum sit.

persei latino *si* plerique reddunt.

VI b. 54. . . . eetu ehesu poplu. Nosue ier eke esu poplu, sopir habe esme pople, portatu ulo, pue mers est, fetu uru, pirse mers est.
ito ex hoc populo. Nisi itum sit ex hoc populo, si quis habet in hoc populo, portato illuc, quo ius est, facito illo, quod ius est.

VIII b. 3. sue neip portust issoc, pusei subra screhto est, fratreci motar sins a C C C.
si nec portaverit ita, uti supra scriptum est, magistro multae sint asses C C C.

Apud Italos quae particulae *si* latinae et cognatis sunt similes et condicionales quae vocantur sententias nondum satis firma hypotaxi constare, quamvis certam in formam quaedam sint reductae, *si quis* potissimum, apparet. Latius manantem neque tamen corroboratam hypotaxin in v e t u s t i o r i b u s i n s c r i p t i o n i b u s, si non in antiquissimis, reprehendas. Genera enuntiatorum, non copiam

conquisivi;[1]) alia quaedam post suo loco adferentur. Numeros posui et Garruccii et Mommseni et Ritschelii.

879, 196, XVIII 4. sei ques esent, quei sibei deicerent necesus ese bacanal habere, eeis utei ad pr. urbanum Romam venirent.

879, 196, XVIII 5. vir nequis adiese velet ceius romanus neve nominus latini neve socium quisquam, nisei pr. urbanum adiesent.

912, 197, XIX 9. sei postulabit quei petet, pr. recuperatores oporteat dato iubetoque eum, sei ita pariat, condumnari.

912, 197, XIX 11. sei quis mag. multam inrocase volet.

914,198, XXIII, XXIV, XXV 9.[2]) sei eis volet sibei patronos in eam rem darei, pr. ad quem . . . neiquem eorum det sciens d. m. quoiei . . . eum ea cognatione attigat . . .

914, 198, XXIII, XXIV, XXV, 56. nisei quod post ea fecerit aut nisei quod praevaricationis causa factum erit . . .

914, 198, XXIII, XXIV, XXV, 72. extra quam sei quid in saturam feretur . . .

919, 190, XX, 25. sei langenses eam pecuniam non dabunt neque satis facient arbitratu genuatium quod per genuenses . . . non fiat, quo setius eam pecuniam acipiant, tum quod in eo agro natum erit frumenti, partem vicensumam vini partem sextam langenses in poplicum genuam dare debento in annos singolos.

920, 200, XXVI, XXVII, XXVIII 25. seiquis faxsit, quotiens faxit, in agri iugra singula . . . dare debeto.

920, 200, XXVI, XXVII, XXVIII 31. seiquis de ea re iudicium seive moinicipieis seive quae pro moinicipieis.

920, 200, XXVI, XXVII, XXVIII 41. sei quae lex plebeve sc. est quae . . .

994, 590, XVII 22. 10. seive litteras ad magistratus nostros quei Asiam Macedoniam provincias optinent et ad magistratus eorum mittant . . . aequom censere ea ita fierei.

1034, 603, L, XXXII 7. sei quod ad eam aedem donum datum donatum dedicatumque erit, utei liceat oeti, venum dare; ubei venum datum erit, id profanum esto, venditio locatio aedilis esto.

1034, 603, L, XXXII 14. sei qui heic sacrum surupuerit, aedilis multatio esto, quanti volet, idque veicus . . . pars . . . ares, sei apsolvere volent sive condemnare, liceto sei quei ad huc templum rem deivinam fecerit Iovi libero aut Iovis genio pelleis coria fanei sunto

914, 198, XXIII, XXIV, XXV 60. nei quoiue ipse parensue suos heres siet.

Iam, ut leges duodecim tabularum adiungamus, in ipsa *si* particulae significatione harum in fragmentis nihil fere est,

[1]) Plurima confert O. Altenburg, De serm. pedestri Italorum vetustissimo, Jahrb. f. class. Philol. 1890 Suppl. vol. XXIV.

[2]) Hoc loco dubio qui *ni* positive acceperunt (cfr. W. Deecke in Annal. Bursian. 1894, LXXVII p. 314) videntur errare; aperte, ni fallor, vetat lex magistratum cognatos dare patronos.

quod ab iis quae iam attulimus magnopere differat; neque in tertio exemplo *nec* quidquam novi habet. *Si* olim pro *sic* vel *ibi* habitum esse vix impedimur ne concedamus his proximis locis.

Tab. I fr. 2. si calvitur pedemve struit, manum endo iacito.
Tab. IV fr. 2. si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto.
Tab. V fr. 5. si agnatus nec escit, gentiles familiam habento.
Tab. I fr. 3. si morbus aevitasve vitium escit, qui in ius vocabit iumentum dato; si nolet, arceram ne sternito.

Addito negativo casu, demonstrativa quae olim fuit *si* vocis vis fracta est. Ponuntur tamen et finguntur res potius quam feruntur condiciones.

Tab. 1 fr. I. si in ius vocat, ito; ni it, antestator: igitur em capito.

Hoc in exemplo, sicut in in iis quae sequuntur, *ni* (non) sine dubio ex parataxi ortum solum ponitur, *nisi* his in tabulis, quod quidem norimus, non est.

Tab. III. fr. 2. si volet, suo vivito; ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato. Si volet, plus dato.
Tab. I fr. 6. rem ubi pacunt, orato.
fr. 7. ni pacunt, in comitio aut in foro ante meridiem causam coniciunto. Com perorant ambo praesentes . . .

Hoc loco non prorsus certo inter alia *ubi* adnotandum est et cum *ap* italico comparandum.

Tab. VIII. fr. 2. si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.

Gellius XX. I. § 14: nonnulla autem in istis legibus nec consistere quidem, sicuti dixi, visa sunt, velut illa lex talionis, cuius verba, nisi memoria fallit, haec sunt. — Incerta igitur haec quoque, neque tamen ab optimo sermone abhorrent, *ni* tamen pro *nisi* dictum.

Tab. VIII. fr. 12. si nox furtum faxit, si im occisit, iure caesus esto.

Iteratum, variato paululum sensu vel sententiarum ordine, *si* ab auctorum latinorum sermone non est alienum. [1])

Tab. III fr. 3. ni iudicatum facit aut quis endo eum iure vindicit, secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus: quindecim pondo, ne maiore aut, si volet, minore vincito.

Aut priore loco positum parataxeos primigeniae indicium est.

Tab. X. fr. 9. neve aurum addito; cui auro dentes iuncti escunt, ast im cum illo sepeliet uretve, se fraude esto.
Tab. V fr. 7 (?) ast ei custos nec escit.

---

[1]) De huius loci parataxi cfr E. Norden, Die antike Kunstprosa etc., Leipzig 1898, I p. 163.

Ast vix differt a *si* vocis usu altero in exemplo; alterum incertum est; [1]) de illa voce cfr. inter alios von Grienberger, Indogerm. Forsch. 1904 de Duenos inscr. admodum incerta; plura praebet H. Jordan, Kritische Beiträge zur Gesch. der latein. Spr. Berlin 1879, p. 290 s. Tab. X 9 ante *cui* exspectes *si*, item his in duobus quae sequuntur, in tertio (I 4) non item.

Tab. VIII. fr. 22 qui se sierit testarier libripensve fuerit, ni testimonium fatiatur, inprobus intestabilisque esto.

Tab. II fr. 3. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.

Tab. I. fr. 4. Assiduo vindex assiduus esto; proletario iam civi quis volet vindex esto.

Gellius noct. Attic. XVI 10 § 5, si recte commeminisset, ita scriptum esse in XII tabulis dicit.

Restat insigne non satis vinctae et paratacticae orationis exemplum, modo recte sit traditum:

Tab. II fr. 2. Morbus sonticus — aut status dies cum hoste — quid horum fuit vitium iudici arbitrove reove, eo dies diffensus esto.

Multo plura graviusque impressa vestigia *si* demonstrative vel paratactice positi invenimus apud Plautum, qui his in rebus tamquam Homerus est Latinorum atque etiam amplius quam ille vere loquentium sermonem complectitur genuinum longiusque recedit a doctae orationis artificiis, ex cogitatione magis quam ex sensibus et animi impetu exortis. Iam cum in vulgi sermone eadem fere per longa temporum spatia valeat ratio et sibi constet integra, vetustior et primigenia potissimum ea ipsa habenda est, [2]) sicut dialectorum cum urbano sermone comparatarum. Hic igitur, apud Plautum, ad originem ipsam *si* voculae paulo certe propius accedemus neque tamen, quod in graeco εἰ egregie demonstravit Ludw. Lange, [3]) omnino in Latinis usque ad interiectionalem usum descendemus, sed Romanorum more siccitate quadam orationis sententiarumque contenti in demonstrativo et locativo usu potius manebimus. Latini vero

---

[1]) Et suspectum quod ex regum legibus inter alios adfert H. Blase, Histor. Gramm. der latein. Spr. III 1 p. 178: si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto.

[2]) K. Brugmann Griech. Gramm. [3]) p. 555 s.

[3]) Abhandl. der philologisch. histor. Cl. d. kgl. sächs. Ges. der Wiss. 1872 VI s. 307 p. 319 s. et in fin. operis.

sicut *eo loci res est* vel *eo loco res se habet*, ita *sic se res habet* dicebant;[1]) eandem vim in *si* primitus infuisse grammatici recentiores magis elocuti sunt[2]) quam sat multis et idoneis argumentis comprobaverunt, nedum varia condicionalium sententiarum genera percurrerent. Atque incerta in re, quod saepissime condicionalis interpretatio nostro sensui arridet, quo usque usuum in origine exquirenda descendendum sit, difficile est iudicare, neque tamen in tradita ratione acquiescendum est.

Plautina exempla et siqua commemoranda videbantur ex aliis vividi sermonis auctoribus, Terentio maxime, ita instituimus, ut ab indicativo usu profecti ad coniunctivos transiremus, deinde nonnulla adderemus, quae ad utrumque modum commodius referrentur, tum de *nisi* (ni) *quasi sive*[3]) loqueremur, postremo de periodis condicionalibus mentionem faceremus.

In Plautino textu versuum numeros ex Goetzii et Schoellii editione adferam (in fasciculo II ex altera), ceterorum editiones respiciens, ubicumque opus visum erit.

Longissime, ni fallor, ab hypotaxi condicionali abest *si*, cum eo enuntiatum inducitur, in quo non praemittitur aliquid, verum id additur, quod ad eam ipsam rem de qua agitur agendam minus pertineat, potius hortantis iudicium declaret et id adfirmet quod hortetur. Condicionem nullam reperies, nisi per ellipticas ambages nescio quam logices rationem intrudas simplici subitaeque hortationi. *Si* saepius ictus vi intensum et sub finem versus vel membri positum, his in exemplis est: h a c i n r e, s i c, i t a, i a m, quamquam concedi oportet condicionali interpretandi ratione eorum commoditati consuli posse, qui suum loquendi morem sequuntur potius quam genuinum aut saltem primigenium requirunt sensum latinae linguae, neque satis cogitant, ut in singulis vocabulis, sic in con-

---

[1]) Casu fortasse factum est, ut in Plautinae Captivorum fabulae vv. 487 et 490 Ergasilus *sic* et *ibi* eodem sensu ponere videatur: abeo ab illis postquam uideo sic me ludificarier... Nunc redeo inde quoniam me ibi uideo ludificarier.

[2]) F. Stolz et J. H. Schmalz, Lateinische Gramm. 3 Aufl. München 1900 p. 411, tamen *si* et *sic* in eadem sententiarum serie scite comparat. Cfr. A. Dittmar, Studien zur latein. Moduslehre, Leipzig 1897, p. 169, 171, 307.

[3]) De *sirempse*, quod est in Amphitruonis prologo, v. 74, cfr quae disseruit haud pauca P. Persson in Adnotationum Plautinarum specimine I, Upsaliae MDCCCXCIV, p. 33 s. et p. 115. Illud fere constat hoc in vocabulo *si* fuisse *sic*,

iunctis verbis, primam significationem, quamvis mutata sententia, tamen saepissime ac per longas aetates remanere. Eius modi haec sunt:

Most. 1173. Tranio, quiesce, si sapis. TH. Tu quiesce . . . modo
esse sapis codices, correxit Camerarius.

Sueci similiter dicunt: stilla, så (sic) är du klok.

Stich. 708. Tibi propino. decumum a fonte tibi tute inde, si sapis.
Rud. 1398. Heus tu, mihi dato ergo, si sapis.
Curc. 28. Ita tuom conferto amare semper, si sapis,
Asin. 373. Hercle uero tu cauebis ne me attingas, si sapis,
Poen. 1036. Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Poen 675. Tuam rem tu ages, si sapis.
Most. 515. Non me appellabis, si sapis.

Hortationes igitur et utroque imperativi genere et indicativo futuro proferuntur; ex his condicionem possis extorquere, si falso iudicium futuri *(appellabis)* praetuleris præsenti hortationi vel iusso [1]). Sed iudicium (*si sapis)* sequi, non antecedere ex eo apparet, quod in alterius vel etiam tertiae personae ore post loquentis poni potest in aperta parataxi, ut his locis.

Merc. 881. CHA. Religionem illic mi obiecit: recipiam me illuc. EV. Sapis.
Mi Ritschl add.

Mil. 1189 s. PL. Satis placet pictura: perge. PA. Ille extemplo illam hortabitur,
Vt eat, ut properet, ne s[c]it mora matri. PL. Multimodis sapis.
Epid. 283 s. (EP) . . ne grauetur quod uelis. PE. Viue sapis. Et placet . . .
. . EP. Et repperi haec te qui abscedat suspicio.
PE. Sine me scire. EP. Scibis: audi. AP. Sapit hic pleno pectore.

Trin. 559. PH. Meus quidem hercle numquam fiet. ST. Si sapies quidem.

Futuro igitur tempore idem fere dictur: sic certe sapies.

Atque etiam interiectione *ut* praeposita inducitur iudicium illud:

---

1) Itaque contrarium fere H. Blase, Histor. Gramm. der latein. Spr. III 1 p. 109 (117) si sapis (= wenn du überhaupt klug bist). Cfr praeterea O. Seyffert Berl. philol. Wochenschr. 1896 p. 1269 s.

Mil. 757. AP. Fit pol illuc ad illuc exemplum: ut docte et perspecte sapit.

Idem fit longe alia sententia, demonstrativa tamen (sic sapit):

Epid. 60 [a] s. Plus scire satiust quam loqui
Se,uom hominem: ea sapientiast.

Most. 926 s. TH. Ego enim caui recte — eam ⟨am⟩ bis gratiam? — atque animo meo
TH. Sat sapio, si aps te modo uno caueo. TR. Tecum sentio.

Incerta huius loci pars (Schoellium dubitanter sequor, *eam mihi des* Leo, *eam dis* Lindsay) minus ad rem pertinet; ex altero versu apparet, qualis hac in re hypotaxis cogitari possit iis quae attulimus exemplis prorsus contraria. Simile est:

Rud. 899. Pol magis sapisset, si dormiuisset domi:

Similem loquendi usum Cicero elegantius sic expressit epist. famil. X 27,2: itaque sapientius meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationen non interpones.

Sed ad parataxin transeamus:

Plaut. Men. 121 s. Malo cauebis, si sapis:
Virum obseruare desines.

Cfr Leonis adnotatio.

Iam iis qui sequentur locis inseruntur verba *si sapis* ceteris, neque tamen primigeniam vim amittunt:

Cas. 838. Malo, si sapis, cauebis:

A *sapies,* sic Leo et Sjögren.

Ex sortibus Patavinis haec adferenda sunt, in quibus prohibitivam sententiam primariam velim animadvertas.

2165, 1140 (Cod. Vat. 14). de incerto certa ne fiant, si sapis, caueas.
Amph. 311. Proin tu istam cenam largire, si sapis, esurientibus.
Aul. 401 s. tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi quam uolsus ludiust.
Mil. 476 s. Ergo, si sapis,
Mussitabis. plus oportet scire seruom quam loqui.

Neque alia res est in his, quae singulare quiddam habent:

Cas. 494. Hordeias, — CHA. Immo triticeias, si sapis.
Bacch. 1026 s. (NI) Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro.
CH. Ne unum quidem hercle, si sapis.
Ter. Eun. 76. (PA). Et ne te adflictes. PH. Itane suades? PA. Si sapis.

Bacch. 1001 s. CH. Non dabis, si sapies: uerum si das maxume,
Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:
quaeret vix recte Brachmann.

In praesenti adhortatione vel potius increpatione subita inversus est ordo sententiarum; condicio toto loco aliena:

Rud. 1391 s. DAE. — Si sapies, tacebis — tum te mihi benigne itidem addecet
Bene merenti bene ⟨re⟩ferre gratiam.

Coniunctivos iam hic adferam locos, præsertin cum a ceteris haud multum differant:

Pers. 797. TO. Iurgium hinc auferas, si sapias.
Merc. 373 Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.
Poen. 351. Si sapias, curam hanc facere conpendi potes.
sei A; *potest* AP, *potes* FZ; *pote* haud male Lindsay.
Amph. 904 s. Nam certo, si sis sanus aut sapias satis,
Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
Tibi habeas, nisi si sis stultior stultissumo.

Duplex adhortatio potius est quam condicionalis sententia hoc loco (iam iam sapias):

Rud. 1228 s. DAE. Quid est negoti, Gripe? GR. De illo uidulo,
DAE. Si sapias, sapias: habeas quod di dant boni.

Singularis primae personae ratio habenda est, ad hypotaxin iam inclinata; ita tamen, ut origo eluceat paratactica (sic sapiam):

Rud. 96. SC. Si sapiam, hoc quod me mactat concinnem lutum.
PL. Prope me hinc nescioquis loquitur. DAE. Heus, Sceparnio.
Men. 604. MA. Satis. ME. Si sapiam, hinc intro abeam, ubi mihi bene sit. PE. Mane: male erit potius.

Cum *si(c) sapis* comparandum hoc est:

Asin. 539. Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.

Ne hoc quidem alienum videtur:

Men. 502. Si æquom facias, mihi odiosus ne sies.

Ter. Ad. 438 s. estne Hegio.
Tribulis noster? si satis cerno, is est hercle.

Hunc locum, nisi brachylogiae artificio usus, vix aliter explices atque sic: iam satis cerno. Et esse et videre igitur se adfirmat Demea addito *hercle*.

Tria hic ponantur exempla, secundum Petronii, ubi aliquam *sic* et *si* vocum similitudinen animadvertas velim:

Ter. Eun. 563 s. AN. Noui: nempe, opinor, Thaïdem.
CH. Istam ipsam. AN. Sic commemineram.
Petr. 30. altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum.
Amph. 457. An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Palmer frustra *sed forte;* cfr O. Seyffert in Berol. philol. hebd. 1890 p. 1593.
Poen. 1064 memoradum mihi, si novi forte aut si sunt cognati mihi.

Haud dissimile duco *si amas,* quo saepissime — item *si me diligis* — in epistulis utitur Cicero vulgus secutus. Cuius usus satis habeo haec tria adferre exempla:

Ter. Heaut. 1031. Et caue posthac, si me amas, umquam istuc uerbum ex te audiam.
Petr. 96. ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem.
Petr. 48. dic ergo, si me amas, peristasim declamationis tuae.

In iis quae attulimus exemplis vix aliud agit *si* quam ut addat quod eadem in re adfirmet sententiam loquentis. Hoc idem interrogando fieri potest, ita, ut si quis alterum interrogat, eandemne rem iam agat, deinde ut agat hortetur, vel ita ut adfirmet eum id ipsum esse acturum vel iam agere, quod ut agat hortetur. Condicioni nullus locus est. *Age, si agis* hoc est: „age, hac in re iam agis", „nonne hic agis"; minime illud est: „age ea condicine si agis, aliter ne egeris"; itaque causam potius significatam putes: „age, quo*niam* agis". Aperta huius usus origo est eo quem primum ponam loco; qui sequuntur loci tum interrogantis sunt, tum nude adfirmantis (iam, certe). De *si quid agis* postea loquar; nunc leviter tangetur is usus.

Ter. Eun. 99. TH. Sicine agis, Parmeno? age.
Stich. 711. STI. Bibes, si bibis. ST. Non mora erit apud me. SA. Edepol conuiui sat est:
bibe correxit Scutarius, *bibes* codices.
Stich. 714. (SA) bibe tibicen. Age, si quid agis, bibendum hercle hoc est, ne nega.
Quid hic fastidis quod faciundum uides esse tibi. Quin bibis?
Age, si quid agis, accipe, inquam.
De v. 714 dubitandum, in *si* tamen vocis usu nihil suspectum est.
Epid. 196. Age, si quid agis.
Mil. 215. Agis, si quid agis, uigila, ne somno stude, et similia saepius.

Poen. 1237. HA. Ite, si itis. AD. Quid nos fecimus tibi? HA. Fures estis ambae.
Poen. 511. Quin si ituri hodie estis, ite aut ite hinc in malam crucem.
Truc. 148. s. (DI) Volo habere aratiunculam pro copia[e] hic apud uos.
AST. Non aruos hic, sed pascuost ager: si arationes
Habituris, qui arari solent, ad pueros ire meliust.

Quae hoc loco correcta aut corrigenda sunt, ad *si* non pertinent.

Habituriendi verbum ad ea quae sequuntur transitum praebeat.

Pers. 146 s. TO. Hoc, si facturu's, face.
SA. Faciam equidem quae uis. TO. Bene facis. propera, abi domum:
Amph. 324. Si in me exercituru's, quaeso in parietem ut primum domes.
Pers. 397 s. VI. Quin tu me ducis, si quo ducturu's, pater?
Vel tu me uende uel me face quid tibi lubet.

Nesciebat *quo* se ducturus esset pater, venditurum esse haud erat nescia. Hoc igitur dicebat: iam quo me ducturus es?

Capt. 359 s. HE. Nunc tu illum si illo's missurus, dice demonstra praecipe,
Quae ad patrem uis nuntiari. uin uocem huc ad te? TYN. Voca.
Capt. 183. Sed si uenturu's, temperi. ERG. Em, uel iam otiumst.
Mil. 1299. A matre illius uenio. si iturast, eat.

Mil. 1186. Vt, si itura sit Athenas, eat tecum ad portum cito

In pendenti oratione facilius, quamvis certa in re, condicionalis subauditur ratio. Et relativa in eius modi sententiis declarant facilem ad hypotaxin transitum esse, velut:

Epid. 284 s. EP. Tum tu igitur calide quidquid acturu's age.
PE. Rem hercle loquere. -
Most. 1100. quod agas, id agas.

Similis voluntatis in verbis et in cognato loquendi genere ratio est. Velle alterum adfirmat etiam interrogantis specie qui loquitur, ut quod ipse velit vel agat id extollat.

Non positi *si* duo adfero exempla et interrogativa plura:

Ter. Ad. 138. Unum uis curem: curo; et est dis gratia.
Petr. 70. volueris, de vulva faciet piscem.
Mil. 906 s. AC. Nempe ludificari militem tuom erum uis? PA. Exlocutast.
AC. Lepide et sapienter, commode et facete res paratast.

Mil. 458 s. (PA.) uin tu facere hoc strenue?
SC. Quid faciam? PA. Ecfer mihi machaeram huc intus.
SC. Quid facies ea?
Mil. 335. Vin iam faciam ut stultiuidum te fateare? SC. Age face.
pro *te* plurimi codices *ut*.
Mil. 978 s. PA. Immo uin tu lepide facere? PV. Loquere et consilium cedo.
PA. Vin tu illam actutum amouere, a te ut habeat per gratiam?
PY. Cupio. PA. Tum [PA.] te hoc facere oportet.
Ter. Heaut. 947 s. ME. Sino:
Itane uis? CH. Ita. ME. Fiat.
Ter. Eun. 389. PA. Iubesne? CH Iubeam? cogo atque impero:
Cas. 758. Verum i modo. LY. Si tu iubes, em, ibitur tecum.

Iam iusserat alter; *si iubes* igitur est: hac in re iubes, sic est: iubes, ergo iubes, iam iubes.

Amph. 857. AL. Abin hinc a me, dignus domino seruos? SO. Abeo, si iubes.

Si iubes est: sic enim iubes, quamquam post positum hypotacticam adiuvat rationem.

Bacch. 99. PI. Sine. — BA. Sino equidem, si lubet.
Pers. 145. SAT. Quaeso hercle me quoque etiam uende, si lubet.
uendes elubet libri, corr. Pylades; cfr F. Skutsch, Berl. phil. Wochenschr. 1892 p. 1612 s.

Ne his quidem qui sequentur locis dubitatur de alterius voluntate, nedum condicio proponatur. Causalis esset *si,* hypotacticum si esset.

Most. 772. TR. At tamen inspicere uolt. SI. Inspiciat, si lubet.
Ter. Ad. 133. MI. Mihi sic uidetur. DE. Quid istic? si tibi istuc placet,
Profundat perdat pereat, nil ad me attinet.
Poen. 870. SY. Vt ego hanc familiam interire cupio. MI. Adde operam, si cupis.
Mil. 1149. PL. Facile istuc quidemst, si et illa uolt et ille autem cupit.
Most. 224. SC. Si tibi sat acceptumst, fore tibi uictum sempiternum
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in uita,
Soli gerundum censeo morem et capiundas crines.

Paulo antea id fere dixerat Philematium, quod hic *si* voce concimat Scapha, v. 204 s.: Solam ille me soli sibi . . . illi me soli fenseo esse oportere opsequentem.

Mil. 972 s. PY. Cupio hercle equidem, si illa uolt.
PA. Quae cupit? PY. Quid illa faciemus concubina quae domist?

Curc. 672 s. CV. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?
TH. Si haec uolt. PL. Mi frater, cupio. TH. Fiat. CV. Bene facis.

Asin. 460. Non magni pendo: ne duit, si non uolt. sic sine adstet.

Truc. 936. <AST.> Nunc si hanc tecum esse speras, alia opust auri mina.

tecum hanc Spengel.

Truc. 747 s. DI. Non licet † do obsoni me participem fieri?
AST. Si uolebas participari, auferres dimidium domum:

dimidio Lindsay; *non mei licet obsoni* Leo.

Merc. 871 s. EV. Repudia istos comites atque hoc respice et reuortere.
CHA. Si quidem mecum fabulari uis, subsequere. EV. Sta ilico.

Hic, sicut in ceteris fere, *si quidem* non diiungenda esse censui a *si* voce.

Pers. 487. DO. I ad forum, e praetore exquire, si quidem credere mihi non uis.

Curc. 702 s. dicam meam sententiam,
Si quidem uoltis quod decrero facere. TH. Tibi permittimus.
<CA.> Dum quidem hercle ita iudices, ne quisquam a me argentum auferat.

Most. 322 s. CAL. Visne ego te ac tu me amplectare?
DEL. Si tibi cordist facere, licet. CAL. Lepida's.

Ter. Ad. 945 (MI.) si uos tanto opere istuc uoltis, fiat. AE. Bene facis.

Ter. Ad. 503 s. uos aequo animo aequa noscere.
Oportet, si uos uoltis perhiberi probas.

Poen. 205. heus, i foras, Agorastocles,
Si uis uidere ludos iucundissumos.
AG. Quid istuc tumultist, Milphio? MI. Em amores tuos,
Si uis spectare. AG. O multa tibi di dent bona,
Quom hoc mihi optulisti tam lepidum spectaculum.

Poen. 1160 s. Nunc, patrue, si uis tuas uidere filias,
Me sequere. HA. Iam dudum equidem cupio et te sequor.

Poen. 677. Nunc te illum melius<t> capere, si captum esse uis.

Illis omnibus locis voluntas, de qua agitur, certa est. In hoc quod sequitur exemplo aperta est ironia: e r g o h o c m a v i s, m i t t a m.

Mil. 1337. <PL.> Si magis uis, <e>am omittam. <PY.> Nolo: retineas. PA. Fio miser.

ego omisit A *nisi tu non vis* A.

Epid. 584 s. AC. Quid loquar uis? PE. Haec negat se tuam esse matrem. AC. Ne fuat,

Si non uolt: equidem hac inuita tamen ero matris filia.
Non med istanc cogere aequomst meam esse matrem, si neuolt.

Trin. 328. (LY.) bene volo ego illi facere, si tu non nevis. PH. Nempe de tuo?
LY. De meo . . .

Eandem fere sententiam aliquantulum dubitantis potius quam adfirmantis interrogando exprimit Plautus et verbis *num non vis* et sic: [1])

Truc. 546. quid ais? nunc tu num nevis me, voluptas mea?

Si vis contracta *(sis)* addi ad imperativa, quae contumeliosa sint, haud male dicit Donatus; de condicione certe non agitur, quamvis attenuata et saepius sublata sit primigenia illa vis adfirmativa.

Mil. 1111. ⟨PY.⟩ Quid is? ecqui fortis? ⟨PA.⟩ Abi sis hi⟨n⟩c:
Mil. 200. illuc sis uide,
Mil. 182. I, sis, iube transire.

In his rursus parva aut nulla dubitatio est de voluntate alterius: certe tibi lubidost et cet.

Poen. 145 s. AG. Si tibi lubidost aut uoluptati, sino:
Suspende, uinci, uerbera: auctor sum, sino.
Merc. 1002. Satis iam ut habeatis; quin loris caedite etiam, si lubet.
Mil. 749. Nunc quod occepi opsonatum pergam. PL. Si certumst tibi,
Commodulum obsona, ne magno sumptu: mihi quiduis sat est.
Ter. Eun. 388 s. PA. Quid istic? si certumst facere, faciam; uerum ne post conferas.
Culpam in me.
Ter. Eun. 536 s. PY. Si istuc ita certumst tibi,
Amabo ut illic transeas, ubi illast. CH. Eo.
Poen. 1397. Omitte genua. LY. Mitto, si ita sententiast.
Trin. 716. Ego amicus numquam tibi ero alio pacto: sic sententiast.

si codices, *sic* Itali et editores omnes, nec repugno, cum vix ulla sint *si* ita positi exempla prorsus certa; cfr tamen quae attuli pag. 2, not. 3.

Insigne sequitur *si* fortasse interrogativi, certe paratactice positi exemplum, in quo ellipsis ambagibus nil opus est: visne hac in re hoc verbum cogitare.

Most. 789 s. TH. Antiquom optines hoc tuom, tardus ut sis.
TR. Heus tu, si uoles uerbum hoc cogitare:
Simul flare sorbereque hau factu facilest.
Ego hic esse et illic simitu hau potui.

---

[1]) Cfr A. Habich, Observationes de negationum aliquot usu Plautino, Halis Sax. 1893 p. 27 s., et O. Seyffert in Annal. Burs. 1895 vol. LXXX p. 319 s.

Paucas e multis appono relativas sententias cum antecedentibus comparandas:

Amph. 972. AL. Quin uenis quando uis intro? faxo haud quicquam sit morae.
Men. 422. Nunc quando vis eamus intro.
Mil. 363. Age nunciam, quando lubet. SC. Quid agam? PA. Perire propera [1]).
Pers. 223. PAE. Par pari respondes dicto: abi iam, quando ita certa re[se]st:
Petr. 10. cras autem. quia hoc libet, et habitationem mihi prospiciam et alium fratrem.
Ter. Eun. 813. GN. Iam dimitto exercitum? THR. Ubi uis.
Ter. Eun. 460. TH. Ubi uis, non moror.

De voluntate deorum itidem relativa comparo. *Si* quinto in exemplo et in ceteris cum ponebatur, sine dubio primitus *sic* valuit, quod plerumque temporum diversitate comprobatur, quamquam in proverbium abiit *si dis placet.*

Mil. 117 s. Vbi sumus prouecti in altum, fit quod di uolunt:
Capiunt praedonis nauem illam ubi uectus fui.

di addidit Lipsius.

Petr. 76. cito fit, quod di volunt.
Petr. 61. ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis.
Mil. 1227. PA. Vt tu inclutu's apud mulieres. PY. Patiar, quando ita Venus uolt.
Capt. 454. Expediui ex seruitute filium, si dis placet.
Truc. 647. Post illoc quam ueni adueni<t>, si dis placet,
Ad uillam, argentum meo qui debebat patri,

veni quamadveni codices.

Ter. Ad. 476 s. Ille bonus uir nobis psaltriam, si dis placet, [2])
Parauit, quicum uiuat; illam deserit.

Iis quoque qui sequuntur locis simplicis hominis ingenua fiducia potius est quam condicio, quae ab animo loquentis aliena fuerit.

Bacch. 239 s. CH. Extexam ego illum pulcre iam, si di uolunt.
Haud dormitandumst: opus est chryso Chrysalo.
Capt. 587. TY. Scio te id nolle fieri; ecficiam tamen ego id, si di adiuvant.

---

[1]) *Quod lubet* alio sensu nimirum saepius; cfr A. Prehn, Quaestiones Plautinae de pronominibus indefinitis, Strassburg 1887, p. 5.

[2]) De *dis placet* vocem *si* esse *sic* vidit a. 1880 Dombart, quod probare videtur G. Landgraf in Ciceros Rede für Sex. Rosius aus Ameria, Erlangen 1882, p. 321 et F. Stolz, Latein. Gramm. 3 in Enchir. Mueller. p. 137.

Eadem sui confidentia actores fabularum ad eos qui spectant se convertunt; *si quidem* et *si* est: hic certe.

Amph. 1005 s. Sed eccum Amphitruonem: aduenit. iam ille hic deludetur probe,
Si quidem uos uoltis auscultando operam dare.

Et sic saepius in exeunte fabula:

Pseud. 1334 s. Verum sultis adplaudere atque adprobare hunc gregem et fabulam in crastinum uos uocabo.

Ad *si vultis* codicum vestigia ducunt, *sultis* metro firmatur.

Rud. 1421 s. Verum si uoletis plausum fabulae huic clarum dare,
Comisatum omnes uenitote ad me ad annos sedecim.

Merc. 1025 s. Bene ualete: atque, adulescentes, haec si uobis lex placet,
Ob senum hercle industriam uos aecumst clare plaudere.

Hoc loquendi genus haud inscite imitantur prologi, sicut:

Mil. 79 s. Mihi ad enarrandum hoc argumentumst comitas,
Si ad auscultandum uostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras.

Postremo similia quaedam breviter commemoro:

Ter. Heaut. 1033. CL. Quos? CH. Si scire uis, ego dicam:

Most. 1074 s. TR. Adgrediar hominem: appellabo. TH. Nunc ego ille huc ueniat uelim.
TR. Si quidem pol me quaeris, adsum praesens praesenti tibi.

Tale est *si quaeris*, quo saepe in epistulis utitur Cicero; idem Att. I 16 ipso in initio dicit *Quaeris ex me . . . respondebo tibi.* Et similia illa fuerunt notissima *si audes, sodes, audes? (si audis) audin* [1]*), ecquid audis, non audis? audi.* Quod olim adfirmantis erat vel non dubitantis, quamvis interrogandi specie (hac in re lubet, sic tu vis, certe vis, iam quaeris, certe audes, num audes), id posterius etiam in vulgi sermone modali ratione ponebatur vel in condicione; illud est:

Petr. 50. et forsitan, inquit, quaeris.

Relativum autem est:

Petr. 104. Encolpion quod quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum.

---

[1]) De hoc usu cfr C. Lindskog, Quaestiones de parataxi et hypot. p. 28. ubi adde Mil. 1088.

Saepius ita ponitur *si*, ut eo quod in orationem inducit enuntiato explicetur alterum, sicut cum posteriore aetate, procedente iam parataxi, quod, eo quod (quoniam) ponuntur. Exclamantis tamen et adfirmantis apud Plautum saepe est potius quam sententias conectentis *si* vel *si quidem*, et idem atque iam, ergo, igitur valet; condicionalis primitus certe non fuit coniunctio. Exempla doceant:

Trin. 591 s. Tandem impetraui abiret. di, uostram fidem,
Edepol re gesta pessume gestam probe,
Si quidem ager nobis saluos est: etsi admodum
In ambiguost etiam nunc quid [d]ea re fuat.

Epid. 629 s. DA. Haec edepol remorata med est. STR. Si quidem istius gratia.
Id remoratu's quod ista uoluit, nimium aduenisti cito.

Cas. 997. CLE. Rogitas etiam? LY. Si quidem hercle feci, feci nequiter.

Ter. Heaut. 631. Si peccaui, mi Chremes, insciens feci.

Poen. 135. MI. Scitumst, per tempus si obuiamst uerbum uetus.

Stich. 398 s. GE. Enim uero, Gelasime, opinor prouenisti futtile,
Si neque ille adest neque hic qui uenit quicquam subuenit.

Hic tempora quoque diversa paratacticam adiuvant rationem: iam neque ille adest . . . Item in secundo, quod sequitur, exemplo et in tertio.

Rud. 483 s. Repperi negotium,
Si quidem his mihi ultro adgerunda etiamst aqua.

Mihi his Reiz, Lindsay.

Most. 827 s. Atque etiam nunc satis boni sunt, si sunt inducti pice.
Non enim haec pultifagus opifex opera fecit barbarus.

Si quid ab indignante interrogatur, *si* potest fere pro nonne accipi, ut his duobus in exemplis:

Merc. 184. AC. Qui, malum, ego nugor, si tibi quod me rogas respondeo?

Amph. 817. AL. Quid ego tibi deliqui, si quoi nupta sum tecum fui?

Si ad primariam significationem sic, hac in re accedit huius quoque modi loco:

Asin. 272. LI. Illic homo aedis compilauit, more si fecit suo:

Aliud, quamvis in re simili, hoc est:

Amph. 198. Si dixero mendacium, solens meo more fecero.

De re certa, quae iam agi coepta est, non de condicione haec dicuntur. Si ad antecedentia refertur *si*, plane est *sic*, quod si cui

artificium videbitur, *iam* vel *hic* substituet nec sermorem turbabit, immo rem, ut agebatur, melius illustrabit:

Asin. 830. DE. Numquidnam tibi molestumst, gnate mi, si haec nunc mecum accubat?

Hoc quoque loco adfirmatur potius res decreta quam proponitur condicio:

Pers. 344. VI. Tua istaec potestas est, pater: uerum tamen,
Quamquam res nostrae sunt, pater, pauperculae,
Modice et modeste meliust uitam uiuere.
Nam ad paupertatem si admigrant infamiae,
Grauior paupertas fit, fides sublestior.

Nam ubi ad paup. accessit infamia Nonius male, ex suo fortasse ingenio.

Futuro tempore hypotaxis saepe nititur, ut huius modi loco, nisi quando indignantis fuit interrogatio: s i c i n e?

Mil. 1243. PY. Prohibendam mortem mulieri uideo [mulieri]. adibon?
PA. Minime
Nam tu te uilem feceris, si te ultro largiere.

Ea quae iam adferam exempla non posita *si* voce eandem rationem eamque sine dubio paratacticam praebent. Et exclamantur aut ab indignante interrogantur nonnumquam (in tertio, quarto, quinto exemplo) quae *si* voce induci potuerunt. In Terentii locis coniunctivus est verbi.

Pers. 306. TO. Propera, abi domum. SA. Nunc huic ego graphice facetus fiam:
Subnixis alis me inferam atque amicibor gloriose.

Mil. 911. AC. Bonus uates poteras esse: nam quae sunt futura dicis.

Mil. 871 s. di hercle hanc rem adiuuant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie.
Lepide hoc succedit sub manus negotium.

atiuuat codices.

Men. 792 s. MA. Atque ibi potat. SE. Tua quidem ille causa potabit minus,
Si[ue] illic, siue alibi lubebit? quae haec, malum, inpudentiast?
Vna opera prohibere ad cenam ne promittat postules
Neue quemquam accipiat alienum apud se. seruirin tibi.
Postulas uiros? dare una opera pensum postules,
Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.

Ter Hec. 588 s. PA. Quaeso quid istuc consilist?
Illius stultitia uicta ex urbe tu rus habitatum migres?

Prorsus vivide talia vulgus expressit etiam imperativis, ubi *eo quod* desideres:

Petr. 57 tu beatior es: bis prande, bis cena.

Iam in h y p o t a x i et locales et aliae particulae ponuntur et relativis pronominibus simillima sententiarum ratio significatur.

Aul. 184. EVC. Non temerariumst, ubi diues blande appellat pauperem.
Aul. 197. Vbi manum inicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Most. 243. PHILE. Quapropter? SC. Quia ecastor mulier recte olet, ubi nil olet.
Pers. 304. Vbi se adiuuat, ibi me adiuuat.
Mil. 892. Nam id proderit mihi, militi[a] male quod facietis ambae.
Mil. 1233 s. AC. Ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosust,
Ne oculi eius sententiam mutent, ubi uiderit me.
Mil. 635. PE. Immo, hospes, magis quom peric[u]lum facies, magis nosces.
Mil. 1112 s. Ad equas fuisti scitus admissarius,
Qui consectare qua maris qua feminas.
Mil. 180. PA. Vae mihi misero, quoi pereundumst propter nili besiam.
Mil. 443. PH. Immo ecastor stulta multum, quae uobiscum fabulem.
Mil. 370 s. Quin uiderim id quod uiderim. PH. Ego stulta et mora multum,
Quae cum hoc insano fabuler, quem pol ego capitis perdam.

Coincidunt, ut novo verbo utar, ea quoque, quae *satin* illud Plautinum excipiunt; quod non dubito quin primitus fuerit *satisne est (sic)*, praesertin cum *potin* (potestne) collatum. Sine *si* haec ponuntur.

Mil. 393. PA. Satin eadem uigilanti expetunt quae in somnis uisa memoras?
Mil. 481 s. SC. Satin abiit ille neque erile negotium
Plus curat quasi non seruitutem seruiat?

erili negotio Lindsay, quae cetera etiam magis incerta hic proposita sunt nihil nostram ad rem.

Mil. 1134. Satine ut commoditas usquequaque me adiuuat?

Si cum *satin* positum tamquam *sic* aut ad antecedentia potest referri (satin est sic:) aut ita reddi: hac in re, iam, sic est.

Bacch. 911 s. Satin est si plura ex me audiet hodie mala
Quam audiuit umquam Clinia ex Demetrio? —
Mil. 1173 s. AG. Teneo. satinest, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas?
Most. 389 s. Satin habes, si ego aduenientem ita patrem faciam tuom
Non modo ne intro ⟨e⟩at, uerum etiam ut fugiat longe ab aedibus?

Amph. 509. IV. Satin habes, si feminarum nullast quam aeque diligam?
Most. 654. TH. Petito cras. DA. Abeo: sat habeo, si cras fero.

Adfirmat se cras pecuniam ablaturum, non condicionem proponit, qui tam pertinax ante fuerit contra servum cras daturum.

Hypotaxin quandam condicionalen *si* voce ex loco suo submota si iam agnosces, non repugno:

Capt. 446. Satin habes mandata quae sunt facta si refero? TYN. Satis.

Etiam si antecedit *si*, paratactice explicari potest: iam.

Amph. 643 s. Plus aegri ex abitu uiri quam ex aduentu uoluptatis cepi: sed hoc me beat
Saltem quom perduellis uicit et domum laudis compos reuenit: id solaciost.
Absit dum modo laude parta domum recipiat se: feram et perferam usque
Abitum eius animo forti atque offirmato: id modo si mercedls
Datur mihi, ut meus uictor uir belli clueat, satis
Mihi esse ducam. uirtus praemiumst optumum.

Pers. 18. SA. Satin ergo ex sententia. TO. Si eveniunt quae exopto, satis.

Re vera evenisse illa satis declarant, quae sequuntur:

Pers. 29 s. TO. Basilice agito eleutheria.
SA. Quid iam? TO. Quia erus peregrist. SA. Ain tu
Peregrist? TO. Si tute tibi bene esse
Pote pati, ueni, uiues mecum,
Basilico accipiere uictu.

sicut et B, *sit ut* PCD, *si tu* Camerarius et plerique, *si tut'* Lindsay.

Contra, ubi ad rem non certam refertur *si*, facile hypotaxis oritur:

Capt. 116. Liber captiuos auis fere consimilis est:
Semel fugiendi si datast occasio,
Satis est — numquam postilla possis prendere.

Cum *satis* sic posito quod conferatur unum ex multis addo exemplum hypotacticum:

Mil. 947. PY. Volup est, quod agas si id procedit lepide at⟨que ex⟩ sententia.

His subiunxi quaedam, ubi comparativa videtur esse sententia, ita tamen ut paratactice reddi possit plerumque vocabulis: sic est, iam, quidem. Primo exemplo *si* deest.

Most. 779 s. Nouicium mihi quaestum institui non malum:
Nam muliones mulos clitellarios
Habent, at ego habeo homines clitellarios.
Truc. 615. Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina clueo.
Rud. 1014. GR. Si tu proreta isti naui's, ego gubernator ero.
Petr. 9. cum ego proclamarem, gladium strinxit et, si Lucretia es, inquit, Tarquinium invenisti.
Pers. 249. SO. Quid istic scriptum? PAE. Iuxta tecum, si tu nescis, nescio.

Interrogantis hoc videtur primitus fuisse, ut unum tantum exemplum adferam: umquamne?

Merc. 313. LY. Si umquam uidistis pictum amatorem, em illic est.

His duobus locis pro *si* repone quod primitus valuit *sic:* melius procedet sententia, si rem quae agitur ipsam potius respicias quam logicam rationem.

Most. 328. CAL. Sine sine cadere me. DEL. Sino. CAL. Sed hoc quod mihi in manu[se]st.
DEL. Si cades, non cades, quin cadam tecum.
Aul. 747 s. Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,
Luci claro deripiamus aurum matronis palam.

Quae in hypotaxi *quod* particula coniunguntur et quae comparativa haberi possunt, facile ad c a u s a l e m rationem migrant. Haec ipsa in iis praevalet, quae iam proponemus, ita tamen ut *si* vel *si quidem* [1]) particulae origo plurimis locis appareat et *sic*, *certe*, *igitur* pro *si* reponi possit vel etiam *hac in re*.

Aul. 688 s. Et causa iustast, si quidem itast ut praedicas,
Te eam compressisse uinolentum uirginem.
Trin. 1098. CH. Credo omnia istaec, si ita sunt ut praedicas.
sunt Ritschl Leo Lindsay, *et* codices.
Epid. 510 s. PE. Perii hercle, si istaec uera sunt, planissume:
Meum exenterauit Epidicus marsuppium.
Ter. Eun. 827 s. PH. Hem, misera occidi,
Infelix, si quidem tu istaec uera praedicas.
Ter. And. 465. Actumst, si quidem haec uera praedicat.
Most. 987. TH. Si quidem istaec uera sunt. PH. Quid merear, quam ob rem mentiar?

V. 962 Theopropides haec dixerat: occidi, si haec hic vera memorat, pergam porro percontarier, quibus nisus tamen vix est

[1]) De *siquidem* cfr J. H. Schmalz, Neue Jahrb. f. Philolog. 1891 p. 220 s. et K. Sittl. in Annal. Burs. a. 1891, vol. 68 II p. 239 s.

quod posteriore loco *si quidem* posito acrius adfirmari dicas rem, quae iam tum ei ipsi vera magis quam argumentis demonstrata sit visa.

Most. 369 s. <PHILO.> Tutin uidisti? TR. Egomet, inquam. PHILO. Certe? TR. <Certe,> inquam. PHILO. Occidi,
Si tu uera memoras. TR. Quid mihi sit boni, si mentiar?
Merc. 378. CHA. Saluos sum, si quidem isti dicto solida et perpetuast fides.
Ter. Hec. 843. PAM. Certen? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc itast. PAR. Verum reperies.

Qua in re paratactica particula eadem vi ponitur:

Ter. Hec. 696. PH. Plane hic diuinat: nam id est.
Most. 198 s. Postremo, si dictis nequis perduci ut uera haec credas
Mea dicta, ex factis nosce rem: uides quae sim, et quae fui ante.

Similia sunt cum non iam vera dici, sed veras personas adesse aut non adesse actores adfirmant potius quam in dubium vocant, ne tu condicionem intrudas.

Pseud. 1153 s. HA. Admodum, inquam. BA. Te ad me misit Poly machaeroplagides?
HA. Vera memoras. BA. Hoc argentum ut mihi dares? HA. Si tu quidem es
Leno Ballio. BA. Atque ut a me mulierem tu abduceres?
Most. 1149 s. TH. Quid ego nunc faciam? <TR.> Si amicus De<i>philo aut Philemoni's,
[CA.] Dicito [i]is, quo pacto tuos te seruos ludificauerit:
[TH.] Optumas frustrationes dederis in com[m]o<e>diis.
Mil 1016. MI. Cedo signum, si harunc Baccharum es. PA. Amat mulier quaedam quendam.
Mil. 412. Si quidem east. SC. An dubium tibist eam esse hanc? PA. Ea uidetur.

Eadem confidentia Sceledrus ille infelix tum adesse, tum non adesse herilem concubinam sibi persuadet.

Mil. 518 s. Sicut etiam nunc nescio quid uiderim:
Itast ista huius similis nostrai tua,
Si quidem non eademst. PE. Vise ad me intro: iam scies.
Amph. 438. SO. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.
Trin. 978. Quis ego sum igitur, si quidem is non sum qui sum?
Merc. 606. Si neque hic neque Acherunti sum, ubi sum? EV. Nusquam gentium.
Most. 770. TR. Quid? Sarsinatis ecquast? si Vmbram non habes.

Conferenda etiam haec sunt, ubi semper fere de certa re agitur: *si* est *ergo*.

Mil. 427. PA. Quis ego sum igitur, si [tu] hunc ignoras? PH. Mihi odiosus, quisquis es.

Aul. 777 s. Si me nouisti minus
Genere quo sim gnatus: hic mihist Megadorus auonculus:

Merc. 519. PA. Possum. LY. Si tenue scis, scio te uberius posse nere.

Rud. 323. TR. At si uidistis, dicite. PI. Huc profecto nullus uenit.

Merc. 894. EV. Non longe hinc abest a nobis. CHA. Quin [ergo] commonstras, si [ut] uides?
EV. Non uideo hercle nunc, sed uidi modo.

a nobis seclusit Camerarius rectius fortasse quam *ergo*, quod Guietus. Codicum et editorum turbae nostram rem vix dubiam efficiunt.

His quae attuli exemplis duobus alter adfirmat, quod falso credit.

Rud. 1102 s. DAE. Gripe, aduorte animum. tu paucis expedi quod postulas.
TR. Dixi equidem: sed si parum intellexti, dicam denuo.

Quocum exemplo hoc conferas:

Ter. Andr. 655 s. PA. Immo etiam, quom tu minus scis aerumnas meas,
Haec nuptiae non adparabantur mihi.

Vi quadam adfirmantis etiam hae sunt, non condicionales sententiae:

Mil. 649. PA. O lepidum senem in se si quas memorat u⟨i⟩rtu⟨t⟩is habet:
Atque equidem plane educ⟨a⟩tum in nutricatu Venerio.

senem, in se Leo, quem dubitans sequor, *semisenem* Itali et Lindsay vix recte, *semine* B, *semisemne* cett. codd. *hominem, senicem* excogitarunt interpretes.

Men. 530 s. ANC. Scin, quid hoc sit spinter? ME. Nescio, nisi aureum.
ANC. Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te surrupuisse aiebas uxori tuae.
ME. Numquam hercle factumst. ANC. Non meministi, obsercro?
Redde igitur spinter, si non meministi. ME. Mane.

Men. 1028. MES. Sic sine igitur, si tuom negas me esse, abire liberum.

Cas. 285. Quin, si ita arbitrare, emittis me manu? LY. Quin id uolo:

Most. 636. Quid eost argento factum? TR. Saluomst. TH. Soluite
Vosmet igitur, si saluomst.

Men. 198 s. ⟨ME.⟩ Ego saltabo? sanus hercle non es. ⟨PE.⟩ Egone an tu magis?
Exue igitur, si non saltas.

Most. 590. Molestus si sum, reddite argentum: abiero.

Inscr. 1326, C. I. L., I 1008. Pater mei et genetrix germana oro atque obsecro
Desinite luctu questu lacrimas fundere,
Sei in vita iucunda et voluptatei fuei
Viro atque ameiceis atque notis omnibus.

His quoque locis ipsis indicatur res, quae *si* voce adfertur, certa per se dici et vi quadam efferri, non sedate ceteris subnecti.

Bacch. 355 s. Hic nostra agetur aetas in malacum modum,
Si quidem hic relinquet neque secum abducet senex
Med et Mnesilochum. quas ego hic turbas dabo.
Stich. 757. STE. Si quidem mihi saltandumst, tum uos date bibat tibicini.
Rud. 765. ⟨TR.⟩ Ego dabo ignem, si quidem in capite tuo conflandi copiast.

Neque quidquam refert si ceteris inseritur enuntiatum quod *si* voce inducitur in orationem; *si* est: sic est, ergo, ut hoc in exemplo:

Pers. 800 s. Vritur cor mihi.
TO. Da illi cantharum: extingue ignem, si cor uritur, caput
Ne ardescat. DO. Ludos me facitis, intellego.

Interrogationem vel exclamationem nescio an hoc qui sequitur loco *si quidem* indicat: sicine vero?

Mil. 624 s. PA. Nouo modo tu homo amas. si quidem te quicquam quod faxis pudet,
Nil amas, umbra's amantum magis quam amator, Pleusicles.

Adfirmantis et instantis his quoque locis *si* videtur esse:

Epid. 8. Cena tibi dabitur. TH. Spondeo — EP. Quid? TH. Me acceptūrum, si dabis.
Mil. 229 s. Tu[de] unus si recipere hoc ad te dicis, confidentiast
Nos inimicos profligare posse. PA. Dico et recipio.
Mil. 814 s. Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene sunt manupularis mei.
Trin. 1067. CH. Si eris meritus, fiet. respice huc ad me: ego sum Charmides.

Servus quod meruerat, cum minume dubium esset Charmidae, quoniam ille bonam sibi partem apponi postularat, senex non condicionem dixit, sed hoc fere voluit: sic eris meritus, fiet.

Si hoc quoque, loco est: sic est, ergo, iam, item proximo.

Truc. 220 s. Nos diuitem istum meminimus atque iste pauperes nos:
Vorterunt sese memoriae — stultus sit qui id miretur.
Si eget, necessest nos pati: amauit — aequom ei factumst.
Truc. 706. Mea pilast: si repudiatur miles, mulier mecum erit.

Huic qui sequitur loco causalem vim vindicat Cl. Lindskog, De enuntiatis apud Plautum et Terentium condicionalibus, Lundae 1895, p. 24. Suethice reddit demonstrative et interrogative: jaså, afbryter du mig, skall jag tiga. Apertam vide parataxin.

Men. 1121. Si interpellas, ego tacebo.

Ne hoc quidem loco quidquam est condicionis in *si* voce; qua qui utitur, ei certum iam erat abire, et abiit, alter restat:

Poen. 442. MI. Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
Nam isti quidem hercle orationi Oedipo
Opust coniectore, qui Sphingi interpres fuit.
AG. Illic hinc iratus abiit.

Epid. 116 s. Nam quid te igitur retulit
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuomst?

Merc. 529 s. Ego te redemi, ille mecum orauit. PA. Animus rediit,
Si mecum seruatur fides. LY. Bono animo's: liberabit
Ille te homo.

illi ante *ille* addidit Ritschl.

Etiam in pendenti oratione *si* adfirmative ponitur, quamvis ironice: certe tibi argentum est.

Curc. 33 s. PH. Quin leno hic habitat. PA. Nemo hinc prohibet nec uetat
Quin quod palamst uenale, si argentumst, emas.

In hoc quoque exemplo *si* ni fallor est *sic, igitur, ergo;* quo quidem loco ellipses et brachylogias et anacolutha mihi obici haud ignoro:

Ter. Eun. 181 s. Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduom
Saltem ut concedas solum. PH. Si quidem biduom:
Verum ne fiant isti uiginti dies.

Huius modi loco vix aliud est *si* quam *sic;* ad totum autem enuntiatum refertur, non, tamquam si *tam* esset, ad *habes.*

Mil. 716 s. ⟨PA⟩. Nimis bona ratione nimiumque ad te et tuam uitam uides.
PA. Et tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii.

Contra infinita in re magis ad hypotaxin inclinat oratio:

Truc. 768. Nugae sunt: si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet.

Mil. 600 s. Nam bene consultum inconsultumst, si id inimicis usuist,
Neque potest quin, si id inimicis usuist, obsit tibi.

Mil. 694. Flagitiumst si nil mittetur, quae supercilio spicit.

Sequuntur hac quoque in re parataxeos nulli dubitandae exempla haud pauca, ubi saepius voculis *quidem, nam, nam quidem* idem fere exprimitur quod *si* vel *si quidem* expressum vidimus.

Mil. 491. SC. Perii hercle: hic ad me recta habet rectam uiam.
Mil. 398. PA. Scin te perisse? ⟨SC.⟩ Nunc quidem domi certost: certa res est
Nunc nostrum obseruare ostium, ubiubist.
Mil. 345 s. SC. Agedum ergo face. uolo scire, utrum egon id quod uidi uiderim
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo nec rogo utendos foris.
Mil. 483 s. Certo illa quidem hic nunc intus est in aedibus:
Nam egomet cubantem eam modo offendi domi.
Certumst nunc obseruationi operam dare.
Most. 261. PHILE. Tum tu igitur cedo purpurissum. SC. Non do: scita's tu quidem.
Mil. 632 s. PL. Pol id quidem experior ita esse ut praedicas, Palaestrio:
Nam benignitas quidem huius oppido adulescentulis⟨t⟩.
Mil. 755. Insaniuisti hercle: nam idem hoc hominibus sat [a] era[n]t decem.
Mil. 593 s. Redeo in senatum rusum. nam Palaestrio
Domi nunc apud mest, Sceledrus nunc autemst foris:
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Mil. 590 s. Usque adhuc actumst probe:
Nimium festiua⟨m⟩ mulier operam praehibuit.
Mil. 1141 s. ⟨AC.⟩ Heia uero. ⟨PA.⟩ Nimis facete nimisque facunde malast:
Vt lepide deruncinauit militem. MI. At etiam parum.

Hoc qui sequitur loco pro *sic* pone *si quidem,* manebit parataxis. In proximis quoque insignis ad nostram rem est *sic* vocis usus.

Pseud. 1130. SI. Malum quod tibi di dabunt: sic scelestu's.
Pseud. 336 s. ⟨BA.⟩ Ex tua rest ut ego emoriar. CA. Quidum? BA. Ego dicam tibi:
Quia edepol, dum ego uiuos uiuam, numquam eris frugi bonae.
Ex tua re non est, ut ego emoriar. PS. Quidum? BA. Sic: quia,
Si ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.
Most. 450 s. TH. Quid uos, insanin estis? TR. Quidum? TH. Sic: quia
Foris ambulatis: natus nemo in aedibus . . .
Mil. 974 s. PA. Quin tu illam iube abs te abire quo[d] lubet: sicut soror

Eius ⟨h⟩uc gemina[m] uenit[e] Ephesum et mater accersuntque eam.

Ita quoque, sicut pro *hic* ponitur *ibi, sic* vel *si quidem* vocis vices agit haud raro. Pauca ego exempla[1]):

Merc. 725. LY. Non possum, ita instas: urges quasi pro noxio.
Cas. 340 s. OL. Non hercle opinor posse: ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur.
Curc. 452 s. Credo hercle te esse ab illo: nam ita nugas blattis.
CV. Immo etiam porro, si uis, dicam. LY. Nil moror.
Mil. 402. SC. Nescio quid credam egomet mihi iam: ita quod uidisse credo
Me id iam non uidisse arbitror. PA. Ne tu hercle, sero, opinor.
Mil. 166 s. PA. Nescioquid malefactum a nostra hic familiast, quantum audio:
Ita hic senex talos elidi iussit conseruis meis.
Mil. 661 s. PE. Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus:
Ita apud omnis conparebo tibi res benefactis frequens.
Mil. 158 s. Miquidem iam arbitri uicini sunt, meae quid fiat domi:
Ita per inpluuium intro spectant.

Contra pro *si* hypotactice ponuntur *quando, quom* et relativa, sicut antea vidimus, cum de *quod* agebamus.

Mil. 1085. PA. Quin ergo abis, quando responsumst? MI. Ibo atque illam huc adducam.
Mil. 705. PE. Quando habeo multos cognatos, quid opus est mihi liberis?
Mil. 772. PA. Quando habebo, igitur rationem ⟨m⟩earum fabricarum dabo.
Mil. 1044 s. Nam uolturio plus humani credost. PY. Magnum me faciam,
Nunc quom ill⟨a⟩ec me [il]sic conlaudat. PA. Viden tu ignauom, ut sese inferat?
Mil. 368 s. PH. Tun me uidisti? SC. Atque his quidem hercle oculis — PH. Carebis credo,
Qui plus uident quam quod uident.
Mil. 1081. MI. Perii, quot hic ipse annos uiuet, quoius filii tam diu uiuont.
Mil. 312. Non ego possum quae ipsa sese uenditat tutarier.
Mil. 406. PA. Dudum edepol planumst id quidem: quae hic usque fuerit intus.

---

[1]) Cfr de *ita* inter alios J. Le Breton, Revue de philologie, XXII 1898 p. 275 s.

Tractatis iam iis indicativis, in quibus variae verborum rationes immixtae videbantur, ea exempla recensebimus, ubi si hypotaxis admittatur, pura et integra apparet temporis significatio, verae condicionis vix ulla sunt indicia. Paratactice tamen haec quoque saepius proferuntur sicut:

Mil. 711. Sacruficant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi.

dant per compendium scriptum varias lectiones peperit minime adhibendas.

Mil. 714. Illi inter se certant donis: egomet mecum mussito.

ego et mucum P.

Ter. Ad. 118 s. Amat: dabitur a me argentum, dum erit commodum;
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.

Ter. Ad. 839 s. DE. Scilicet ita tempus fert: faciundumst.

Mil. 935. PA. Vos modo curate: ego illum probe iam oneratum huc a<c>ciebo.

Mil. 200. PE. Quaere: ego hinc abscessero aps te huc interim.

Iam *si* cum additur — nam abesse potest — praesenti tempore maiore vi id enuntiatur, quod vera temporis significatione in hypotaxi adiungitur; *si* vero ni fallor est vel fuit primitus: iam, ergo, igitur, sic est, sicut hoc quem adferam Mercatoris loco v. 644 Charinus, certumst, inquit, exulatum hinc ire me, ne quam dubitationem, nedum condicionem *si* voce indicari putes v. 654.

Merc. 654. EV. Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?

Hoc autem loco Aululariae avarus ille iam dimiserat servum, quem intus esse aperte dicit. Quae addit: abi quo lubet, ea secum loquitur. *Si* est: sic, ergo.

Aul. 656 s. Perii hercle: ille nunc intus turbat. hunc si amitto, hi<n>c abierit.
Postremo hunc iam perscrutaui: hic nil habet. abi quo lubet.

hunc iam Nonius, *iam hunc* codices; *hic* omisit Nonius, *nihil* Nonius, *nihili* Plauti codices.

Ter. Andr. 244. Quod si fit, pereo funditus.

Hoc toto loco pro certis miserias suas habet Pamphilus.

Rud. 1094 s. Si scelesti illius est hic quoius dico uidulus,
Haec poterunt nouisse: ostendere his iube. GR. Ain? ostendere?

Certius etiam v. 1091 hoc idem dicitur: si quidem hic lenonis eius est uidulus.

His quoque qui sequuntur locis non tam condicio proponitur, quam certa res vi quadam adfertur: ergo.

Stich. 70 s. Exorando, haud aduorsando sumendam operam censeo.
Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere:
Mil. 1213 s. PY. Quid opus⟨t⟩ uerbis? libertatem tibi ego et diuitias dabo,
Si impetras. PA. Reddam impe⟨t⟩ratum. PY. At gestio. PA. At modice decet.

Antecedenti versu Palaestrio, quam ego, inquit, nunc concilio tibi, sicut post in proximo adfirmat a se rem impetratum iri.

Poen. 515 s. ADV. Heus tu, quamquam nos uidemur tibi plebeii et pauperes,
Si nec recte dicis nobis diues de summo loco,
Diuitem audacter solemus mactare infortunio.

Iam maledixerat alter, interrupto sermone *si* est: sicine tu?

Interrogatione instantis haec nescio an primitus fuerint:

Pseud. 1328. SI. Egone eam? PS. Fac quod te iubeo.
Si is, aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres. SI. Eo: duc me quo uis.
Mil. 1394. PE. Ducite istum: si non sequitur, rapite sublimem foras.
Mil. 455. Do fidem, si omittis, isto me intro ituram quo iubes.

His duobus locis non repugno quin pro *sic* pure positum *si* putemus:

Men. 79 s. Homines captiuos qui catenis uinciunt
Et qui fugitiuis seruis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt mea quidem sententia.
Nam ⟨hoc⟩ homini misero si ad malum accedit malum,
Maior lubidost fugere et facere nequiter.
Ter. Ad. 662 s. AE. Factum a uobis duriter
Inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.

Similia haec fuerunt in praesenti re: sicine?

Ter. Phorm. 628 s. [1]) heia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentiast.
Ter. Phorm. 805 s. CH. Numquamne hodie concedes mihi
Neque intelleges? DE. Si tu nil narras.

---

[1]) Hoc in exemplo ex metrica ratione temporum diversitatem vix recte explicat M. Schlossarek, Temporum et modorum syntaxis Terentiana I. Vratisl. 1908 p. 19, quae diversitas e parataxi originem ducit: mox sudabis, sic inceptas.

Si pergis qui dicit, his locis alterum quadam in re certe pergentem increpat: igitur, sicine.

Bacch. 570 s. Postremo, si pergis paruam mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego ted in collum, atque intro hinc auferam.

Ter. Ad. 127. Ah, si pergis, abiero.

Ter. Ad. 181. Nam si molestus pergis esse, iam intro abripiere.

Futuro in tempore potius ad hypotaxin res abit:

Curc. 569 s. Tu auferere hinc a me, si perges mihi
Male loqui profecto.

Curc. 571 s. Atque edepol non minitabor, sed dabo,
Si perges molestus esse.

Ne hoc quidem loco tam condicio est, quam petulantis servi sibique confidentis exclamatio: iam vero, nonne ergo?

Asin. 712. Datisne argentum? LI. Si quidem mihi statuam et aram statuis
Atque ut deo mi hic immolas bouem: nam ego tibi Salus sum.

Truc. 755 s. DI. Redin an non redis? AST. Si uocat me, qui in me potest plus quam potest.
DI. Vno uerbo — ⟨AST.⟩ Eloquere. ⟨DI.⟩ Mitti[i]n me intro? AST. Mendax es, abi:

si, quod est in codicibus, multi omittunt, Schoellium sequor; *si* autem iam fere ego esse puto.

Primitus, vivido in sermone, etiam huiusmodi locis *si* fuitne: ergo?

Asin. 193 s. Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in maunm,
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.

De hoc loco cfr L. Havet in Rev. phil. XXI 1905 p. 187 s.

Epid. 468 s. Si sexaginta mihi dinumerantur minae,
Tuas possidebit mulier faxo ferias.

Perfecto in tempore etiam minus obscure res acta demonstratur; *si* est: ergo. Primum autem exemplum *si* caret.

Ter. Andr. 670. Hac non successit, alia aggrediemur via.

Rud. 1070 s. GR. Ni istum cepi, nulla causast quin me condones cruci.
Si in mari retia prehendi, qui tuom potiust quam meum?

De *retia* cfr Lindsay.

Ter. Ad. 184. AE. Si satis iam debacchatus es, leno, audi si uis nunciam.

Ter. Ad. 690 s. Quid fieret? qua fieret? si te mi ipsum puduit proloqui,
Qua resciscerem? haec dum dubitas, menses abierunt decem.

Epid. 90[b] s. Si sibi nunc alteram
Ab legione abduxit animi causa, corium perdidi.

Certam rem quae antecedunt declarant; *si* est: si quidem, sic ergo, certe, sicut in hoc exemplo, ubi iam ima, qua adfecta erat, humilitate mulier aliud cogitare vetabatur:

Mil. 1251 s. AC. Si amauit umquam aut si parem sapientiam hic habet ac formam,
Per amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet.

Tribus in ultimis perfecti temporis exemplis interrogari res vel *umquam* additum indicium est, si non argumentum. Comparanda autem haec sunt cum indignantium exclamationibus, quas post videbimus. Primo loco insigne est *sic,* altero *ego,* tertio *hercle.*

Pseud. 541 s. PS. Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam [facere]? immo sic, Simo:
Si sumus conspecti seu[e] consilium umquam ini<i>mus [de istac re],
Aut si de istac re umquam inter nos conuenimus,
Quasi in libro quom scribuntur calamo litterae,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.

Prudenter cauteque hic quae correxit Lindsay haud dubitavi sequi.

Men. 816 s. Si ego intra aedis huius umquam, ubi habitat, penetraui <pedem,>
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus.

pedem addidit Pylades.

Poen. 488 s. Si hercle istuc umquam factumst, tum me Iuppiter
Faciat ut semper sacruficem, numquam litem.

Imperfecti etiam in tempore nonnumquam elucet *si* vocis origo, et est fere: ergo; quamquam quarto loco quam facilis sit ad hypotaxin transitus apparet.

Pseud. 798 s. Si me arbitrabare isto pacto ut praedicas,
Cur conducebas? BA. Inopia: alius non erat.

Pseud. 379 s. TR. Quid faceret? AM. Si amabat, rogas quid faceret? adseruaret
Dies noctesque: in custodia esset semper.

Men. 195. Nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.

iamdudum oportuit et *adeptum* Nonii vix est quod commemorem.

Mil. 856. Vbi bacc<h>abatur aulla, cassabant cadi.

Futuri primi in tempore hypotaxin praevalere ex iis, quae saepius diximus, recte concluditur, neque tamen desunt omissae coniunctionis exempla paratactica:

Poen. 179 s. Leno ad se accipiet auri cupidus ilico:
Celabit hominem et aurum. AC. Consilium placet.
Ter. Phorm. 133 s. Pater aderit: mihi paratae lites: quid mea?
Illa quidem nostra erit.
Most. 564. Iam illo praesente adibit. ne ego homo sum miser:
Mil. 707. Mea bona mea morte cognatis didam, inter eos partiam:
Hi apud me aderuut, me curabunt:

Hi A, *li* P, *i* Lindsay, versum delent Brix, Leo, vix recte.

Most. 378 PHILO. Quid ego agam? pater iam hic me offendet miserum adueniens ebrium.
Mil. 353. Sic opsistam, hac quidem pol certo uerba mihi numquam dabunt.
Pseud. 863. Si iste ibit, ito: stabit, astato simul.

His igitur exemplis accuratius perspectis convenit illis qui sequuntur locis *si* pro *iam* accipere, et imperativa fere duo prima sunt:

Merc. 219. Si istac ibis, commodum obuiam uenies patri.
Merc. 526. Eam si curabis, perbonast: tondetur nimium scite.
Trin. 463 s. ST. Verum hercle hic dicit. LE. Oculum ego ecfodiam tibi,
Si uerbum addideris. ST. Hercle qui[n] dicam tamen:
Nam si sic non licebit, luscus dixero.

Quae in codicibus variantur, secundae *si* vocis usum non faciunt dubium.

Cas. 298. Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.
Pers. 617 s. TO. Virgo, hic homo probus est. VI. Credo. TO. Non diu apud hunc seruies.
VI. Ita pol spero, si parentes facient officium suom.

Versu 653 s. eadem virgo hoc ipsum adfirmat: actutum ecastor meus pater, ubi me sciet veniisse, ipse aderit et me aps te redimet.

Certum consilium, nulla condicio haec est:

Most. 870 s. Si huic imperabo, probe tectum habebo,
Malum quom impluit ceteris, ne inpluat mi.

Certo humilis illa mulier militis voluntatem timet hoc loco:

Mil. 1239. AC. Si pol me nolet ducere uxorem, genua amplectar.

Dissimili in re simile est dicendi genus illud:

Pseud. 1172 s. 〈BA.〉 An etiam ille umquam expugnauit carcerem, patriam tuam?
〈HA.〉 Contumeliam si dices, audies.

Hoc autem loco clamat fere *si* vox demonstrativam sententiam: sic.

Mil. 1411. PE. Iura te non nociturum esse homini de hac re nemini,
Quod tu hodie hic uerberatu's aut quod uerberabere,
Si te saluom hinc amittemus Venerium nepotulum.

Quae de hoc uno Captivorum loco dicta sunt longum est persequi; *si* non dubito quin sit: igitur.

Capt. 682 s. TYN. Dum ne ob malefacta peream, parui ⟨ex⟩istumo.
Si ego hic peribo, ast ille ut dixit non redit,
At erit mi hoc factum mortuo memorabile,

estumo libri, *id aestumo* Pylades, ex litteris facilius, ex loquendi consuetudine haud verisimile.

Egone interrogationem inducit, ni fallor, cui vim addit *si:* igitur.

Mil. 936 s. PE. Bene ambula, bene rem geras. egone hoc si efficiam plane,
Vt concubina⟨m⟩ militis meus hospes habeat hodie
Atque hinc Athenas auehat: ⟨si⟩ hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?

egone divisit Lindsay; *si* alterum Camerarius et ceteri omnes addunt.

Stichi loco finxit fortasse servus currens, qua est magniloquentia, tamquam certam rem: iam.

Stich. 287. Si rex obstabit obuiam, regem ipsum prius peruortito.

Iis qui iam adferentur locis, vel potius in eius modi genere loquendi, primitus videtur *si* relatum esse ad certas res, sicut primis in exemplis huius capitis sine dubio paratacticis vidimus. Certe aliquando domum revertit dominus, iam suos quaesivit.

Mil. 480. Erus si ueniet, si me quaeret, hic ero: hinc me arcessito.

quaeret A, *quaerit* P.

Mil. 246. Idem ego dicam, si ⟨ex⟩ me exquiret miles.
Mil. 248. Ne titubet, si ⟨ex⟩quiret ex ea miles. PE. Nimis doctum dolum.
Mil. 195. PE. Ego istaec, si erit hic, nuntiabo.

Huius modi loco, ut saepius, *si* primigenium ab *sic* vix differt.

Trin. 1011. Caue sis tibi ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si ab[i]eris ab eri quaestione: ne destiteris currere.

Hypotactica contra iam haec videntur esse, de incerta re vel infinite dicta:

Mil. 1364 s. PA. Cogitato ⟨i⟩dentidem, tibi quam fidelis fuerim.
Si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.

Mil. 865 s. LV. Quaeso tamen, tu meam partem, infortun⟨i⟩um
Si diuidetur, me absente accipito tamen.

Ter. Phorm. 692 s. Dotem si accipiet, uxor ducendast domum.

Ter. Heaut. 217. Mihi si umquam filius erit, ne ille facili me utetur patre:

Ter. Andr. 409 s. DA. Crede inquam hoc mihi, Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse uerbum, si te dices ducere.

Mil. 1124. Quin si uoluntate nolet, ui extrudam foras.

Temporalium coniunctionum exempla pauca subiungo cum antecedentibus comparanda, quamquam in ultimo condicionalem vim nimis flagitabunt multi.

Pers. 653 s. VI. Iam hoc tibi dico: [iam] actutum ecastor meus pater ubi me sciet
Venisse huc, ipse aderit et me abs[en] te[m] redimet.
TO. Quid nunc? DO. Quid est?

abs te iam Bothe emendavit, *iam* Guietus abstulit.

Epid. 73 s. EP. Haecine ubi scibit senex,
Puppis pereundast probe.

Truc. 883. (DI.) Numquid uis? ⟨PHR.⟩ † Facultas. ⟨DI.⟩ Operae ubi mihi erit, ad te uenero.

fac valeas Acidalius, *fac venias* Mueller.

Mil. 933. Hanc ad nos, quom extemplo a foro ueniemus, mittito⟨te⟩.

Mil. 578 s. Vt, miles quom extemplo a foro aduenіat domum,
Domi comprehendar.

Asin. 463. Saluom hercle erit. ME. Credam fore, dumquidem ipse in manu habebo.

Exacto in futuro [1]) etiam magis, ni fallor, eminet primigenia *si* vocis origo demonstrativa, qua optime inducitur ingressa vel punctualis quam appellant actio: igitur, iam, vero.

Most. 227 s. PHILE. Vt famast homini, exin sole⟨t⟩ pecuniam inuenire.
Ego si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues.

Pres. 579. DO. Saluos sis, adulescens. SA. Si quidem hanc uendidero pretio suo.

Ab illo loco haud multum hic differt, ubi editores Pium secuti *sic* fere omnes scribi malunt quam *si*, quod est in codicibus.

[1]) Cfr his de formis verbi B. Delbrück, Vergleichende Syntax der indogermanischen Sprachen II. Strassburg 1897, p. 327 s. et H. Blase in Archivo Woelffliniano X p. 321 s.

Most. 1102. TH. Surgedum huc igitur: consulere quiddamst quod tecum uolo.
TR. Si tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens.
Tum consilia firmiora sunt de diuinis locis.

Exclamantis, minantis, non condicionem ponentis haec sunt: iam vero.

Aul. 48 s. Si hercle hodie fustem cepero aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.

Amph. 358. ME. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.

Incerta res non *si* voce, sed adiecto *forte* exprimitur: iam fortasse.

Asin. 105. Si forte in insidias deuenero,
Tun redimes me, si me hostes interceperint?

Sic si forte Havet.

Si igitur his quoque qui sequuntur locis vel huiusce modi in genere loquendi comparandum est cum *iam,* ubi dicitur *iam videro (mox videro), iam revenero:*

Capt. 251. HE. Iam ego reuortar intro, si ex his quae uolo exquisiuero.

Pseud. 1059 s. Nunc deridebo hercle hominem, si conuenero.
Verum in pistrino credo, ut conuenit, fore.

Merc. 562. LY. Adducam ego illum iam ad te, si conuenero.

Rud. 329 s. Eadem sacerdos Veneria haec siquid amplius scit,
Si uidero, exquisiuero: faciet me certiorem.

hanc sacerd. Ven. libri, correxit Leo.

In secunda et in tertia persona attenuata videtur vis *si* vocis neque tamen quae primitus fuit prorsus abolita.

Poen. 1360. LY. Perii hercle. AG. Immo haud multo post, si in ius ueneris.

Ter. Andr. 379. Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:

Simillimum hoc est paratacticum sine dubio:

Ter. Heaut. 487. Dare denegaris: ibit ad illud ilico . . .

In eo quod iam adferetur exemplo post perfectum *abiit* eadem de re dicitur fortius exactum *abierit;* neque enim coniunctivus habendus est in oratione obliqua, quam non semper distinguit Plautus.

Merc. 661 s. EV. Vt corripuit se repente atque abiit. heu misero mihi:
Si ille abierit, mea factum omnes dicent esse ignauia.

Pro certa hoc quoque loco actio *(nupserit)* habetur; item in proximo exemplo *(acceperit)*.

Mil. 1006 s. ⟨PA.⟩ Hercle hanc quidem
Nil tu amassis: mihi haec desponsast. tibi si illa hodie nupserit,
Ego hanc continuo uxorem ducam.
Ter. Phorm. 699 s. . . . iam si argentum acceperit,
Ducendast uxor, ut ais, concedo tibi:

De domino domum redituro antea diximus: haec ad hypotaxin vergere concedendum est:

Aul. 356. STR. At iam afferetur, si a foro ipsus redierit.
Mil. 859 s. LV. Perii: excruciabit me erus, domum si uenerit,
Quom haec facta scibit, quia sibi non dixerim.
Ter. Eun. 500 s. GN. Fiat. — TH. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes hoc forte aduenerit.
Mil. 404. Resipisces. si ad erum haec res prius † deuenerit, peribis pulcre.
praevenit dubia codium auctoritate nisus Lindsay.
Truc. 672. Iam pol illic me inclamabit si adspexerit.
Mil. 1152 s. Nunc haec res apud summum puteum geritur: si prosenserit
Miles, nil ecferri poterit huius.

Itaque coniunctionibus *quom, ubi* utitur poeta simili in re:

Most. 881 s. Hoc di⟨e⟩ crastini quom erus resciuerit,
Mane castigabit eos bubulis exuuiis.
Mil. 1176 s. Quom extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit, ibi tu ilico
Facito ut⟨i⟩ uenias ornatu[s] huc ad nos nauclerico.
Mil. 806 s. PL. Tibi sum oboediens. ⟨PA.⟩ Hoc facito: [PA.] miles domum ubi aduenerit,
Memineris ne Philocomasium nomines. PL. Quem nominem?
Mil. 942 s. ⟨AC.⟩ Vbi facta erit conlatio nostrarum malitiarum,
⟨H⟩aud uereor ne nos subdola perfidia peruincamur.
Mil. 946. Nequid, ubi miles uenerit, titubetur. AC. Tu morare.
Mil. 1169 s. ⟨AC.⟩ Bene mones. PA. Sed ubi ille exierit intus, istinc te procul
Ita uolo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam.
Mil. 1193 s. Prorsum Athenas protinus abibo tecum. PL. Atque ubi illo ueneris,
Triduom seruire numquam te quin liber sis sinam.

Nonnullis in exemplis, in quibus tamquam timetur, ne quis veniat, vel venturum esse is qui videtur timere ipse adfirmat, ne hoc quidem negandum est, posse audacem servum et gloriantem op-

tare et cupere, ut veniat is quem eum timere oporteat; *si redierit* tum est: ergo redeat, iamiam redierit; confer vel hunc unum locum:

Most. 426 s. Et ego hinc occludam. iube uenire nunciam:
Ludos ego hodie uiuo praesenti hic seni
Faciam: quod credo mortuo numquam fore.

Neque dissimilis hic est:

Asin. 897 . . . sine, uenias modo domum, faxo ut scias . . .
sine venias defendit V. C. Lindström, Comment. Plaut. p. 65 s.

Indignantis interrogatio vel exclamatio saepe *si* voce vim sibi adquirit: sicine? itaque primo in exemplo est *egone,* atque, ut in interrogando, *umquam ullus* haud raro adduntur. Prima de persona haec sunt dicta; ne post quidem positi *si* minui videtur vis.

Mil. 565 s.[1] SC. Egone si post hunc diem
Muttiuero, etiam quod egomet certo sciam,
Dato excruciandum me: egomet me dedam tibi.
egone diiunxit Lindsay.

Mil. 1426. PE. Si posthac prehendero ego te hic, carebis testibus.

Cas. 1001 s. Si umquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo
Ne ut eam amasso, si ego umquam adeo posthac tale admisero,
Nulla causast, quin pendentem me, uxor, uirgis uerberes.

Men. 156 s. Oculum ecfodito per solum,
Mihi, Menaechme, si ullum uerbum faxo, nisi quod iusseris.

Rud. 789 s. Verum, senex, si te umquam in urbe offendero,
Numquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si te non ludos pessumos dimissero.

Ter. Eun. 852 s. CH. Unam hanc noxiam
Amitte: si aliam admisero umquam, occidito.

Merc. 311 s. Si mouero me seu secari sensero,
Lysimache, em auctor sum uti me amando enices.

Aul. 250 s. Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Inpero atque auctor sum, ut tu me quoi uis castrandum loces!

Si non igitur similibus de rebus dictum primitus fuit fere: nonne.

Pers. 162 s. TO. Nil hercle uero. nam ubi ego argentum accepero
Continuo tu illam a lenon<e> adserito manu.
SA. Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.

Ter. Eun. 888. Emoriar, si non hanc uxorem duxero.

---

[1] De hoc exemplo et similibus quibusdam cfr P. Persson in Indogerm. Forsch. II p. 217 s.

In secundae personae exemplis parataxis haud dubitanda primum locum teneat. Ceteris locis vividus sermo etiam magis poscit paratacticam sententiarum rationem. Quam ne ideo addubitaveris, quod propter vim loquendi abrumpitur oratio et quae *si* voce exprimuntur ceteris inseruntur.

Ter. Ad. 843 s. MI. Pugnaueris:
Eo pacto prorsum illi adligaris filium.
Amph. 454. Nam si me inritassis hodie lumbifragium hinc auferes.
Stich. 344 s. Praeterhac si me inritassis — PI. Edepol essuries male.
Animum inducam, ut istuc uerum te elocutum esse arbitrer.
Pers. 828. Iam ego tibi, si me inritassis, Persam adducam denuo.
Curc. 726. Quid tum? — Quid tum, rogitas? hisce ego, si tu me inritaueris,
Placidum te hodie reddam.
Bacch. 888 s. Qua quidem te faciam, si tu me inritaueris,
Confossiorem soricina nenia.
Men. 416. Periisti, si intrassis intra limen.
Aul. 442 s. Si ad ianuam huc accesseris, nisi iussero, propius
Ego te faciam miserrumus mortalis uti sis.
iusso Guietus audacter.
Capt. 124. HE. Ita ut dicis: nam si faxis, te in caueam dabo.
Capt. 695 s. Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris,
Si ille huc rebitet, sicut confido adfore.
Men. 112 s. Praeterhac si mihi tale post hunc diem
Faxis, faxo foris uidua uisas patrem.
Aul. 58 s. Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.

In eius modi genere dicendi *si* cum paulatim sedata in oratione positum erat, pro coniunctione habebatur; et post positum *si* etiam certius est tranquillioris animi indicium.

Mil. 701 s. PA. Di tibi propitii: nam hercle si istam semel amiseris
Libertatem, haud facile in eundem rusum restitues locum.
Asin. 854 s. Neque diuini neque mi humani quicquam adcreduas,
Artemona, si huius rei me mendacem esse inueneris.
Ter. Phorm. 911. Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Amph. 428. Quid in tabernaclo fecisti? uictus sum, si dixeris.

Et in tertia persona rariora exempla reperiuntur *si* demonstrative vel paratactice positi.

Asin. 405 s. Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit,
Si med iratus tetigerit, iratus uapulabit.
incedit libri, quod retinet suo iure Leo, coniunctivo posito Acidalius grammaticae quam rei, qualis agebatur, maluit satisfacere.

Curc. 555 s. TH. Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus
Vt mi oboedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?
Amph. 320. perii, si me aspexerit.
Petr. 49. postea si fecerit, nemo nostrum pro illo rogabit.
Pers. 402 s. Quod si non dederit atque hic dies praeterierit,
Ego argentum, ille ius iurandum amiserit.

Sed rursus ad secundam personam revertamur et indignantis exclamationes repetamus. Secundo et octavo loco in simili re tertia est persona.

Rud. 759 s. Quid illas spectas? quas si attigeris, oculos eripiam tibi.
LA. Atqui[n], quia uotas, utramque iam mecum abducam semul.
Rud. 775. DAE. Quaere erum atque adduce.
TR. At hic ne — DAE. Maxumo malo suo,
Si attigerit siue occeptassit. TR. Cura. DAE. Curatumst abi.
Rud. 762. Si attigeris ostium,
Iam hercle tibi mergis in ore fiet messis pugneis.
Rud. 1117. Si praeterhac
⟨Vnum⟩ uerbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.
Trin. 463. Oculum ego ecfodiam tibi,
Si uerbum addideris.
Bacch. 800. Quid feci? — Inpinge pugnum, si muttiverit.
Ter. Andr. 860. Uerbum si addideris . . .
Ter. Andr. 752 s. DA. Verbum si mihi
Unum praeter quam quod te rogo faxis, caue!
Asin. 625. AR. Verbum caue faxis, uerbero. LI. Tibi equidem, non mihi, opto.
Amph. 608. AM. Caue quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.

Iam vero cum illis ea quae nunc adferam exempla comparaveris, de hortativis potius cogites quam de futuro tempore. Qui minatur id ipsum urget ut faciat alter, quod si fecerit se ulturum indicat, quo in vulgi sermone nihil usitatius.

Rud. 792 s. DAE. Facito istuc quod minitare. sed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
LA. Quam magnum uero? DAE. Quantum lenoni sat est.
LA. Minacias ego flocci non faciam tuas:
Equidem has te inuito iam ambas rapiam. DAE. Tangedum.
LA. Tangam hercle uero. DAE. Tanges? at scin quo modo?
Rud. 1007. TR. Verbum etiam adde unum, iam in cerebro colaphos apstrudam tuo.
Truc. 613 s. STR. Verbum unum adde istoc: iam hercle ego te hic hac offatim offig[i]am.

CV. Tange modo: iam ego ⟨te⟩ hic agnum faciam et medium distruncabo.
Amph. 520. Quo⟨i po⟩l ego iam hoc scipione — AL. Ah noli. IV. Muttito modo.
Truc. 620. STR. Perii hercle hodie, nisi hunc a te abigo. CV. Accede hu[n]c modo, adi huc modo.
Mast. 19 s. Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc dum tibi lubet licetque, pota, perde rem,
Corrumpe † [h]erilem, adulescentem optumum:
Dies noctesque bibite, pergraecamini:
Amicas emite, liberate: pascite
Parasitos: obsonate pollucibiliter.
Cas. 488 s. Satin astu[te]? OL. Docte. CHA. Age modo, fabricamini:
Malo hercle uostro tam uorsuti uiuitis.

Hac ratione inductus *cave faxis* non dubito quin saepius huius modi primitus fuerit: fac, sed cave; ordinem verborum inversum ex abrupto minantis sermone explicaverim, sicut in *uerbum cave faxis*. Hoc praeteriens moneo, ne rem a compluribus agitatam denuo peragere hoc loco videar velle. Et vel ex hac re omni apparet, quam proxima ex origine exstiterint coniunctivi perfecti et futuri exacti significationes [1]).

Ex coniunctivis, praecipue ex optativis sententiis et indignantium exclamationibus, creatas esse in latino sermone hypothetica enuntiata negari nequit [2]). Neque minus mihi verisimile videtur *si* posito primitus non continuo hypotaxin exstitisse, sed per demonstrativas sententias paulatim transitum esse ad subordinata enuntiata.

Atque in optatis, sive *si attigeris, verbum addideris* illa futura sive coniunctiva habeas, et aoristus et secunda persona latius manaverunt. Cum hoc quod primum ponam exemplo comparanda sunt proxima, quibus demonstratur *si emeris* adhortantis esse, non condicionem proponentis.

Pers. 564 s. TO. Si hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.

---

[1]) De *cave faxis* et sim. nuper C. Lindskog, Quaest. de parat. et hypot., p. 19 s. et M. Schlossarek, Tempor. et modor. Syntaxis Terentiana I p. 19 s. De ellipsi cogitat ipse K. Brugmann, Kurge vergl. Gramm. der indogerm. Spr. Strassburg 1902 p. 695 s.

[2]) Cfr J. H. Schmalz, Lateinische Grammat. 3 ed., p. 412 et B. Delbrück, Vergl. Syntax II p. 401 s. Vide praeterhac inter alios Fr. Cramer, De perfecti coniunctivi usu potentiali apud priscos scriptores latinos, Marburg 1886, et quae post scripserunt Frank, Thulin, Morris. De *sic* ante optativos posito pauca H. Blase, Hist. Gramm. d. lat. Spr. III 1, p. 133 s.

Pers. 625 s. TO. Nomen atque omen quantiuis iam est preti: quin tu hanc emis?
Nimis pauebam ne peccaret: expediuit. DO. Si te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te. TO. Tu si hanc emeris,
Numquam hercle hunc mensem uortentem, credo, seruibit tibi.

tam? A, omisit P.

Pers. 652. (TO.) Diuitias tu ex istac facies. DO. Ita di faxint. ⟨TO.⟩ Eme modo.

Pseud. 1229 s. BA. Quid nunc faciam? HA. Si mihi argentum dederis, te suspendito.
BA. Di te perdant. sequere sis me ergo hac ad forum ut soluam. HA. Sequor.

Hoc est: primum ergo argentum dato, deinde te suspendito.

Rud. 678 b. TR. Si respexis, scies.

Stich. 608 s. Iube domi mihi tibique tuaeque uxori celeriter cenam coqui.
Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.

Poen. 428 s. AG. Egone, egone, si istuc lepide ecfexis . . . MI. I modo—.
AG. Ut non ego te hodie . . . MI. Abi modo. AG. Emittam manu?

ecfexis Bothe ex *et fexis.*

Ter. Eun. 1056. hoc si effeceris, [1])
Quoduis donum praemium a me optato, id optatum feres.

Pers. 393 s. Si hoc adcurassis lepide quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sescenti logei,
Atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis.

Ter. Phorm. 346 s. Senex adest: uide quid agas: prima coitiost acerruma.
Si eam sustinueris, postilla iam, ut lubet, ludas licet.

Epid. 297. Verum si plus dederis, referam: nil in ea re captiost.

Post positum *si* et cum acri optativo coniunctum vix quidquam remisit de primigenia vi demonstrativa: ergo.

Pseud. 939 b. Sed ego quae tibi bona dabo et faciam, si hanc sobrie rem accurassis.

Rud. 832 s. LA. Numquid molestum mihi erit? LO. Nil, si caueris.
LA. Quid est quod caueam? LO. Em, a crasso infortunio.

Ad futurum vero tempus priore loco positum facile trahitur *si,* ut hypotacticum fiat; item in secundo exemplo ad potentialem coniunctivum *sciam*:

---

[1]) Primi futuri hoc imperativa significatione confer exemplum: Pseud. 949 s. SI. Lepide accipis me. PS. Immo si efficies, tum tu faxo magis dicas. *accipies* Ussingius; *effici* P, *efficies* Hermannus; *tu* addidit Lindsay, *id* Ritschl ante *dicas.*

Men. 346 s. ME. Mones quidem hercle recte. MES. Tum demum sciam
Recte monuisse, si tu recte caueris.

Pseud. 657. HA. Non itast. sed scin quid te oro, Sure? PS. Sciam, si dixeris.

In prima persona unum hic adnoto exemplum aoristi optativi, tertiae personae duo.

Pers. 282 s. SA. Caedere hodie tu restibus. PAE. Tuaquidem, cucule, caussa
Non hercle, si os perciderim tibi, metuam, morticeine.

Rud. 168. Saluae sunt, si illos fluctus deuitauerint.

Spectat in litore cum fluctibus luctantes, *si* exclamantis est, non rem frigide perpendentis.

Rud. 1083. Hoc neque isti usust et illi miserae suppetias feret,
Si id dederit qui suos parentis quaerat. ⟨DAE.⟩ Faciam ut det: tace.

Praesentis temporis[1]) optativos iam solito personarum ordine adferam; *si* primitus fuit fere: ergo, iam, utinam.

Poen. 971 s. AG. Si ad eam rem testis habeam, faciam quod iubes.
MI. Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter?
Aliqua Fortuna fuerit adiutrix tibi.

Ter. Phorm. 738. SO. Quod si eum nunc reperire possim, nihil est quod uerear.

Nulla haec est condicio *si possim, velim,* sed hoc fere dicitur: utinam possim, velim saltem. Et in simili re similique ex parataxi ponitur pro coniunctione hypotactica *modo,* antea adverbium.

Cist. 115 s. GY. Amiculum hoc sustolle saltem. SE. Sine trahi, quom egomet trahor.
GY. Quando ita tibi lubet, uale atque salue. SE. Si possim, uelim.

Stich. 486 s. Vin ad te ad cenam ueniam? EP. Si possim, uelim:
[EP.] Verum hic apud me cenant alieni nouem.

In secunda persona, ut in aoristo, sic his in exemplis et optativus praesentis apparet et *si* primigenium: sic, ergo, iam. Neque multum interest utrum per se astet *si* an inseratur sermoni, tum nimirum interrupto. Anacolutha et brachylogias ad huius modi locos explicandos adhiberi memini incredulus.

---

[1]) Cfr de his H. Blase in Archivo Woelffliniano IX 17 s.

Pseud. 1148. HA. Argentum accipias. BA. Iamdudum, si des, porrexi manum

Trin. 1187. LE. At iam posthac temperabo. CH. Dicis, si facias modo.[1])

Pseud. 997. SI. Propera pellegere ergo epistulam. BA. Id ago, si taceas modo.

Trin. 148. <ME.> Ausculto siquid dicas. CA. Si taceas, loquar.

Quibuscum conferas *potin ut taceas* illud (ex. gr. Pers. 175) et

Ter. Phorm. 58 s. GE. Scies.
Modo ut tacere possis.

Maiore etiam vi *si quidem* ponuntur similibus cum optativis.

Ter. Eun. 50. PA. Si quidem hercle possis, nil prius neque fortius.

Asin. 699. Vehes pol hodie me, si quidem hoc argentum ferre speres.

Condicio talis esset: si vehes, sperabis; sed hoc est: vehes, sic tandem speres, quod concedentis potius est quam hortantis.

Trin. 897. SY. Ita ut occepi, si animum aduortas, dicam. CH. Dabo operam tibi.

Trin. 939. Sed quid ais? quo inde isti porro? SY. Si animum aduortes, eloquar:

Optative hoc poni testantur in simili sententia duo qui sequuntur loci:

Mil. 382. PA. Quid somnia[ui]sti? AH. Ego eloquar. sed amabo aduortite animum.

Ter. Heaut. 317 s. SY. At enim .. CLIT. Quid enim? SY. Si sinas, dicam. CLIN. Sine,
CLIT. Sino.

Comparandum hoc est, ubi pro modali particula *sic, si quidem* temporale adverbium ponitur: tum vero.

Aul. 211. EVC. Dumquidem nequid perconteris, quod [mihi] non lubeat proloqui.

Haud male refictae antiquitatis exemplum hic appono Livianum:

Liv. X 19, 17: Bellona si hodie nobis uictoriam duis: ast ego templum uoueo.

Magis sedatae orationis iam exempla adfero, quibus facilius hypotaxis attribuitur, primigenia tamen *si* vocis significatio non omnis abiudicanda est. Et paratacticus locus initium capiat.

[1]) *Si modo* ante Ciceronem poni non satis caute negant; cfr J. H. Schmalz, Latein. Gramm.[3]) p. 420 et J. Rothheimer, De enuntiatis conditionalibus Plautinis, Gotting. 1876 p. 7 s. De *modo si* cfr H. Blase in Archiv. Woelffl. X p. 292.

Mil. 954. Loquere: auris meas profecto dedo in dicionem tuam.
Capt. 202. In re mala animo si bono utare, adiuuat.

His proximis locis duobus *sic* pro *si* positum non pessum dabit sententiam, et conferas Men. 502, supra pag. 13 allatum:

Truc. 616 s. PHR. Si aequom facias, aduentores meos <non> incuses, quorum
Mihi dona accepta et grata habeo: tuaque ingrata quae abs te accepi.

non addunt Itali, *abs te quae* Kiessling.

Capt. 632. Meam rem non cures, si recte facias: num ego curo tua<m>?

Neque in his exemplis condicionem reperio, sed additamentum est, olim autem fuit certe: hac in re utinam scias verum.

Merc. 444 s. CHA. Certe adepol adulescens ille quoi ego emo efflictim perit
Eius amore. DE. Multo hercle ille magis senex, si tu scias.
Merc. 298 s. LY. Bene hercle factum et gaudeo. DE. Immo si scias,
Oculis quoque etiam plus iam uideo quam prius.
Cas. 667 s. PAR. Insanit. LY. Scelestissumum me esse credo.
PAR. Immo si scias dicta quae dixit hodie.
LY. Istuc expeto scire: quid dixit? PAR. Audi
Curc. 321. Immo si scias reliquiae quae sint.
Pseud. 748 s. PS. Ecquid is homo scitust? CH. Plebi scitum non est scitius.
PS. Probust homost, ut praedicare te audio. CH. Immo si scias:
Vbi te aspexerit, narrabit ultro quid <s>ese uelis.

scitus et *esse* correxit Camerarius.

Ter. Heaut. 599 s. SY. Pessuma haec est meretrix. CH. Ita uidetur. SY. Immo si scias.
Uah, uide quod inceptat facinus.
Heaut. 764. SY. At si scias quam scite in mentem uenerit.
Heaut. 770. CH. Probe. SY. Dic sodes. CH. Nimium, inquam. SY. Immo si scias.
Sed porro ausculta.

immo sic satis, si codices sequaris, quod fieri nequit.

Paratactice id dictum, sicut fere *scilicet*,[1]) qui negant, huius modi exempla cum adferunt, mihi videntur flumen prius ducere, posteriores fonticulos:

Trin. 538. Magis apage dicas, si omnia ex me audiueris.
Ter. Eun. 355 s. Immo si scias quod donum huic dono contra conparet,
Magis id dicas.

---

1) De hoc cfr W. M. Lindsay, Syntax of Plautus, Oxford 1907, p. 113.

Mil. 1429. SC. Iam dudum. PY. Ei mihi. SE. Magis dicas, si scias quod ego scio:
Nam illic qui ob oculum habebat lanam nauta non erat.

Ter. Heaut. 889 s. ME. Magis, si magis noris, putes
Ita rem esse. CH. Ain tu? ME. Quin tu ausculta.

Ne in **tertia** quidem **persona** praesentis optativi parataxeos vestigia desunt, nisi ellipsin malis logicam qnam vivum sermonem.

Cist. 308. Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli.

Pseud. 975 s. Legirupam, inpurum, peiiurum atque impium. BA. Me quaeritat:
Nam illa mea sunt cognomenta: nomen si memoret modo.

Stich. 171 s. Nunc si ridiculum hominem quaerat quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.

Optat hoc nimirum parasitus ut quaeratur.

Stich. 112. Scio ut oportet esse: si sint ita ut ego aequom censeo.

Et in tali re servatum est *sic (modo):*

Ter. Ad. 398 s. Vigilantiam tuam tu mihi narras? DE. Sic siet
Modo, ut nunc est, quaeso. SY. Ut quisque suom volt esse, itast.

Curc. 299. PH. Recte hic monstrat, si imperare possit: nam ita nunc mos uiget.

Capt. 996. Quod male feci, crucior: modo si infectum fieri possiet.
Sed eccum incedit . . .

Poen. 1251 s. HA. Aduortite animum, mulieres. primum, si id fieri possit,
Ne indigna indignis dei darent, id ego euenire uellem:

Truc. 829 s. CA. Non placet: in mutum culpam confer⟨s⟩, ⟨qui non⟩ quit loqui:
Nam uinum si fabulari[m] possit, se defenderet.
Non uinum ⟨uiris⟩ moderari, sed ui⟨ri⟩ uino[n] solent,
Qui quidem probi sunt: uerum qui i[a]mprobust siquam si bibit
Siue adeo caret temeto, tamen ab ingenio improbust.

Primum versum qualemcumque effecerunt Camerarius Luchs Fleckeisen, tertium Schoell emendavit. De medio versu vix dubitandum.

Asin. 623 s. LI. Philaenium, salue. PH. Dabunt di quae uelitis uobis.
LI. Noctem tuam et uini cadum uelim, si optata fiant.

Trin. 220. Hoc ita si fiat, publico fiat bono.

Pers. 72 s. Vt aequa parti prodeant ad tris uiros.
Si id fiat, ne isti faxim ⟨n⟩usquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Pers. 206. Sed si ut digna's faciant, odio hercle habeant et faciant male.
Mil. 1436. Si sic aliis moechis fiat, minus hic moechorum siet.
Aul. 475 s. MEG. Narraui amicis multis consilium meum
De condicione hac: Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum et consilio bono.
Nam meo quidem animo si idem faciant ceteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat ciuitas concordior,
Et inuidia nos minore utamur quam utimur,
Et illae malam rem metuant quam metuont magis.
Piso Frugi, Gell. XI 14, 2: Si istuc omnes homines faciant, uinum uilius sft.
Mil. 1263. MI. Non edepol tu illum magis amas quam ego, mea, si per te liceat.

mea, me codices, *amem* Camerarius, Brix, Ritschl, Leo, *meum* malim.

Capt. 464. Nam hercle ego huic diei, si liceat, oculos effodiam lubens:
Ita malignitate onerauit omnis mortalis mihi.
Pers. 374 s. Non demouebor. VI. At, meo si liceat modo,
Sapienter potius facias quam stulte. SA. Lubet.
Pseud. 427 s. CA. Homines qui gestant quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Cas. 401. LY. Hoc age sis, Olympio. OL. Si hic litteratus me sinat...
Poen. 550 s. ADV. Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc hi[n]c nunc causa haec agitur spectatorum fabula:

Condicio haec certe non est, nisi perversa.

Ambigue illud quod sequitur dictum est et potest sic accipi: velim, sic fiat, aut sic: velim, sed possitne dubito. Cetera duo ad potentialem et hypotacticum usum propius accedunt.

Truc. 362 s. PHR. Velim, si fieri possit. DI. Cedo soleas mihi.
Properate, auferte mensam. PHR. Amabo sanun es?
DI. Non edepol bibere possum iam: ita animo malest.
PHR. Mane, aliquid fiet: ne abi. DI. Ah, aspersisti aquam.
Iam rediit animus, deme soleas, cedo bibam.
Epid. 257 s. EP. Si aequom siet
Me plus sapere quam uos, dederim uobis consilium catum...
Mil. 669. PA. Quid ad illas artis opt⟨ass⟩is, si optio eueniat tibi?

Quod iam sequitur potentialiter dici videtur, sed paratactice tamen, suecana certe lingua possis ita in vulgi sermone loqui: så (sic) må jag...

Curc. 246 s. Potin coniecturam facere, si narrem tibi
Hac nocte quod ego somniaui dormiens?

In imperfecto et plusquamperfecto optativis et condicionalis sententiae origo et *si* vocis primigenia significatio allatis paucis tantum exemplis nescio an pateat:

Pseud. 3 s. PS. Si ex te tacente fieri possem certior,
Ere: quae miseriae te tam misere macerent,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens!
Mei te rogandi et tis respondendi mihi.
Nunc quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit ut te rogitem. responde mihi:

Pseud. 1236. ⟨HA.⟩ Si graderere tantum ⟨quantum⟩ loquere, iam esses ad forum.

Ter. Hec. 249. Quod tu si idem faceres, magis in rem et uostram et nostram id esset.

Aul. 439. Ibi ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile auferres caput.

ibi Guietus; *si* in rasura B; *auferres* Goetz, *haberes* codices.

Trin. 566. Licitumst, si uelles, nunc, quom nihil est, non licet.

Mil. 1262. Tu aspexisti. AC. Ita. MI. Non uideo. ubist? AC. Videres pol, si amares.

Parataxis mera haec est, cui similia *si* positi exempla subiungam:

Pers. 710. ⟨TO.⟩ Cras ires potius, hodie hic cenares. SA. Vale.

Rud. 802. Nunc mi opportuna hic esset, salua si for[t]et.

Mil. 838. ⟨LV.⟩ Tu hercle ⟨iti⟩dem faceres, si[t] tibi esset credita.

Ter. Eun. 446. TH. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho . . .

Ter. Ad. 106. Nam si esset unde id fieret,
Faceremus.

Mil. 1356. Et si ita sententia esset, tibi seruire malui . . .

Hec. 655 s. Pater, si ex me illa liberos uellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet quod celasse intellego.

Andr. 258 s. Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, si quis nunc me roget:
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.

Mil. 1309. Nam si abstinuissem amorem, [quem] tamquam hoc utere⟨r⟩.

Hec. 222. Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.

Poen. 262. MI. Taceo. AG. Si tacuisses, iam istuc 'taceo' non gnatum foret.

Mil. 28 s. PY. At indiligenter iceram. AR. Pol si quidem
Conisus esses, per corium, per uiscera
Perque os elephanti transmineret bracchium.

Mil. 733 s. Si hoc parauissent, et homines essent minus multi mali
Et minus audacter scelesta facerent facta.

Mil. 1083. PA. Si hic pridie natus foret quam illest, hic haberet regnum in caelo.

Addo e vetustis inscriptionibus exemplum:

881. 33. XXXIX. Quibus sei in longa licuiset tibi utier vita, facile facteis superasses gloriam maiorum.

Dubitantis aut indignantis interrogationes praesenti in tempore iam sequentur, prima primae personae non posito *si*, haud dubitanda parataxis.

Ter. Phorm. 186. Loquarne? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lauem.

Capt. 416 s.[1]) Si ego item memorem quae me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat.

Capt. 906. Nam si alia memorem, quae ad uentris uictum conducunt, morast.

Men. 760. Curas si autumem omnis, nimis longus sermost.

Poen. 920 s. Ibo intro, haec ut meo ero memorem: nam huc si ante aedes euocem,
Quae audiuistis modo, nunc si eadem hic iterum iterem, inscitiast.

Attenuata indignantis vi vel potentiali modo posita haec sunt:

Mil. 1371 s. Nam si honeste censeam te facere posse, suadeam.
Uerum non potest.

censeat codices.

Secundae quoque personae exemplum unicum inducant haud dubia parataxis et altera potentialis fere sententia:

Ter. Phorm. 77 s. Namque inscitiast, aduorsum stimulum calces.

Petr. 77. Credite mihi: assem habeas, assem valeas: habes, habeberis.

Merc. 649 s. EV. Quid tu ais? quid quom illuc quo nunc ire paritas ueneris,
Si ibi amare forte occipias atque item eius sit inopia,
Iam inde porro aufugies? deinde item illinc, si item euenerit?

In tertia persona item tractandae interrogationes.

Plaut. Trin. 440 s. Ego quoque volo esse liber: nequiquam volo,
Hic postulet frugi esse: nugas postulet.

---

1) De hoc loco acute A. Dittmar, Studien zur latein. Moduslehre, p. 170 haec dicit: So? ich sollte aufzählen, da würde . . .

Mil. 685. Nam bona uxor suaue ductust, si sit usquam gentium,
[PE.] Vbi ea possit inueniri.
Mil. 1256 Nam odore nasum sentiat, si intus sit.
Mil. 1362 s. PA. Quaeso ut memineris: si forte liber fieri occeperim,
Mittam nuntium ad te: ne me deseras. PY. Non est meum.

Memorabilia illa adiungo *quod* pro *si* positi exempla:

Ter. Eun. 1064 s. Si te platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi
'Alium quaerebam, iter hac habui': periisti. GN. Heia, haud sic decet.
Mil. 162 s. Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat: disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.
Ter. Eun. 785. PH. Sane quod tibi nunc uir uideatur esse hic, nebulo magnus est.

In imperfecto et plusquamperfecto exempla interrogationum omnia, exceptis ultimis, et maiore vi proferuntur et parataxeos, si ipsum loquendi genus quo modo ortum sit, satis perspicias, vestigia sunt. [1])

Mil. 558 s. PE. Ratusne istic me hominem esse omnium minumi preti,
Si ego me sciente paterer uicino meo
Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?
Most. 461 s. Fuge huc, fuge ad me propius, tetigistin foris?
TH. Quo modo pultare potui, si non tangerem?
Ter. Heaut. 202. Pateretur; nam quem ferret, si parentem non ferret suom?

Quocum conferas velim paratacticum illud:

Trin. 954. [2]) An ille tam esset stultus, qui mi mille nummum crederet.

Mil. 719. ⟨PE.⟩ Pol si habuissem, satis cepissem miseriarum e liberis.
Mil. 475 s. ⟨SC.⟩ Id quidem palamst eam esse ut dicis. quid propius fuit
Quam ut perirem, si elocutus essem ero?
Ad. 178. Si attigisses, ferres infortunium.
Amph. 620 s. AM. Sed quid ais? num obdormiuisti dudum? SO, Nusquam gentium,
AM. Ibi forte istum si uidisses quendam in somnis Sosiam.
Mil. 1320. Si non mecum aetatem egisset, hodie stulta uiueret.

---

[1]) Aliter neque tamen sine quadam dubitatione C. Lindskog, Quaest. de parataxi et. hypot. apud priscos latinos p. 69.

[2]) De hoc vide H. Lattmann, De coniunctivo latino, p. 25.

Restant in perfecto vel aoristo tempore exempla pauca interrogantium, ultimum tamen in oratione obliqua hypotacticum.

Trin. 695. Quid? te dictatorem censes fore[s], si aps te agrum acceperim?
Most. 922. TH. At enim nequid captioni⟨s⟩ mihi sit, si dederim tibi.
Epid. 310 s.[1]) Quod pol ego metuo si senex resciuerit
Ne ulmos parasitos facias, quae usque attondeant.
Mil. 242 s. PA. Vt, si illic concriminatus sit aduorsum militem
Meus conseruos, eam uidisse hic cum alieno osculari, eam
Arguam uidisse apud te contra conseruom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem.

Postremo pauca ex magna multitudine subiungentur exempla coniunctivi in oratione obliquo positi, ubi *si* vocis originem et primam significationem (sic, ergo, iam) reperias. Atque ex optativo haec explicari possunt:

Amph. 675. AL. Magis nunc ⟨me⟩ meum officium facere, si huic eam aduorsum, arbitror.
Cas. 542. Vbi tua uxor? AL. Intus illa te, si se arcessas, manet:
Epid. 588 s. Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?
Hanc quoque etiam, si me appellet filiam, matrem uocem.
Negat haec filiam me suam esse, non ergo haec mater meast.
Truc. 397 s. Nunc huc remisit nuper ad me epistulam:
Sese experturum quanti sese penderem.
Si quod peperissem id ⟨non n⟩ecarem ac tollerem,
Bona sua med habiturum omnia esse. DI. Ausculto lubens.

i de carem codices, Schoell correxit.

Bacch. 447 s. Hocine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsus primus uapulet,

Vapulat Langen maluit.

Men. 238 si acum, credo, quaereres,
Acum inuenisses, si appareret, iam diu.

tam libri.

Ex indignantis interrogatione haec originem videntur duxisse.

---

[1]) Conferenda sunt exempla a me supra pag. 39 s. allata et hoc praesentis temporis: Mil. 309 s. Edepol facinus fecit audax. hocine si mile⟨s⟩ sciat, Credo ⟨h⟩ercle ⟨h⟩as sustollat aedis totas. *tota si tollat* libri, correxit Pius.

Mil. 878 s. AC. Stultitia ⟨at⟩que insipientiam † falsta hae⟨c⟩ sit,
Me ire in opus alienum aut tibi mea⟨m⟩ operam pollicitari,
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

insulsitasque haec esset Goetz, sententiam certe assecutus. pro *tibi* Leo *ibi.*

Merc. 912 s. CHA. Optume aduenïens: puere, cape c⟨h⟩lamydem atque haec instinc ⟨a⟩sta ilico,
Vt, si haec non sint uera, inceptum hoc itinere perficere exsequar.
EV. Non mihi credis? CHA. Omnia equidem credo quae dicis mihi:

aduenis Acidalius emendavit, *sat* libi, *isti asta* Seyffert, *istic sta* Camerarius, sed haec minus ad nos.

Transeo iam ad ea loquendi genera, in quibus et indicativus et coniunctivus verbi cum *si* particula ponitur vel posse poni videtur. Quorum in nonnullis explicandis cum in multas difficultates grammatici inciderint, videamus possintne absolvi, si ad primam *si* vocis originem recurramus relicta condicionali ratione interpretandi. Aperta *sic* significationis vestigia sunt hoc quem iam adfero loco et similibus primae personae (de coniunctivis *si possim, velim* cfr supra pag. 46).

Men. 417 s. Bene res geritur. adsentabor, quicquid dicet, mulieri,
Si possum hospitium nancisci.

Nam quod dubitanter, quoniam ad futurum tempus differtur, proferri oportebat, id qui loquitur ingenua quadam et prisca confidentia pro certo ponit: sic iam possum. Condicio si cogitaretur, inversa sententiarum ratione haec fere dici par erat: si adsentabor, possum nancisci.

Prorsus eadem ratio haud paucis locis inest, exempla tantum non omnia sequuntur.

Men. 1048 s. Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam suscenset mihi,
Si possum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum.

Curc. 701. ⟨PH.⟩ Animum aduortite ⟨hoc⟩, si possum hoc inter uos componere.

hoc addidit Langen.

Trin. 958. CH. Enim uero ego nunc sycophantae huic sycophantari uolo
Si hunc possum illo mille nummum Philippu⟨m⟩ ci⟨rc⟩u[e]mducere.

V. 959 Ritschl emendavit.

De interrogativa quoque sententia huius modi locis posse cogitari vel hi duo loci docent.

Pers. 414. Possum te facere ut argentum accipias, lutum?
Pers. 423. Possum a te exigere argentum, inquam cedo!
Bacch. 1151. Ego ad hunc iratum adgrediar, ⟨si⟩ possumus nos hos intro inlicere huc.

si certe ex Plauti sermone addidit Ritschl.

Trin. 859. Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat.

ipsum plane esse A.

Etiam in ratione incerta indicativus ponitur; coniunctivi ubi exstant, optativi primitus videntur fuisse; *modo* tum nonnumquam additur.

Mil. 1084. MI. Iam iam sat amabost: sinite abeam, si possum, uiua a uobis.
Aul. 620 s. Ibo hinc intro; perscrutabor fanum, si inueniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus, sed si re⟨p⟩perero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: uerum ego mihi bibam, ubi id fecero.
Ter. Hec. 265 s. Illam ad uos redire studeo,
Si facere possim ullo modo.
Mil. 1207 s. Idem ego te liberabo. nam si possem ullo modo
Impetrare, ut abiret ne te abduceret, operam dedi.

Ut Lindsay, sic ego hunc versum edidi; de *si* nihil dubitandum.

In secunda persona *sic* illud primigenium facilius obscuratur, neque tamen vestigia eius desunt.

Rud. 1177. DAE. Capedum, hunc si potes fer intro uidulum, age Trachalio.
Capt. 175 s. Propterea ⟨a⟩ te uocari ad te ad ⟨ce⟩nam uolo.
HE. Facete dictum: sed si pauxillo potes
Contentus esse. ERG. Ne perpauxillum modo:

Primum versum Schoell restituit.

Poen. prol. 11. Exsurge, praeco, fac populo audientiam.
Iam dudum exspecto, si tuom officium scias.
Exerce uocem, quam per uiuisque et colis.
Most. 835 s. Quaeso huc ad me specta, cornicem ut conspicere possies.
Iam uides? TH. Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
TR. At tu isto ad uos optuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si uolturios forte possis contui.

Eadem tertiae personae reperietur ratio, ad interrogationem vergens.

Epid. 37. Id modo uidendumst, ut materies suppetat scutariis,
Si in singulis stipendiis is ad hostis exuuias dabit.

Truc. 692 s. AST. Sequere, obsecro. STR. Strabacem hic o<p>periar modo,
Si rure ueniat. AST. Isquidem hic apud nos est Strabax:
Modo rure uenit. STR. Priusne quam ad matrem suam?

se codices, *ueniet* B.

Capt. 100 s. Homines captiuos commercatur, si queat
Aliquem inuenire suom qui [cum] mutet filium.

cum delevit Scioppius, cfr Lindsay.

Trin. 531 s. PH. Em istic oportet opseri mores malos,
Si in opserendo possint interfieri.

Pseud. 1033 s. Cor conligatis uasis expectat[a] meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Vt exulatum ex pectore au[t]fugiat meo.

Merc. 622 s. Quin percontatu's, hominis quae facies foret
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier mulier.

Et latius manante hypotaxi eius modi enuntiata non pro condicione accepta esse, sed certas iis res significari vel haec testantur [1]):

Ter. Ad. 511 s. Istam, quod potes,
Fac consolere.

Ter. Eun. 214 s. PH. Munus nostrum ornato uerbis, quod poteris, et istum aemulum,
Quod poteris, ab ea pellito.

Mil. 1160. <AC.> Impetrabis, imperator, quod ego potero, quod uoles.

Mil. 780 s. Sed ego ita esse ut dicis teneo pulcre proin Palaestrio,
Quam potis tam uerba confer maxume ad conpendium.

Pers. 51. Sed recipe [te] quam primum potes: caue fuas mihi in quaestione.

Truc. 414 s. Quasi pro puer<per>a hic procuras[t]? PHR. Quippini,
Vbi sine labore res geri pulcre potest?

Interrogativum quod raro apud Plautum videtur esse *si,* id certe *sic* primitus significavit, nisi forte interrogantis accentu prolatum est: sicine? Trinummi loco suam alter alteri fiduciam intrudit, ut in hoc ipso quod sequitur exemplo scitum illud ex sua sententia consilium Megaronides alterum ut consideret modo monet, tum certe credit placere: sic placet, iam placet. Similia sunt quae post adferentur.

[1]) Neque enim Plauti locis omnibus ea distinctio vindicanda est quae posteriore aetate Tullii fuit, ut ad Att. X 4,1: ac deplorandi quidem . . . sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quaedam, quod profecto potest.

Trin. 763 s. ME. Sed uide consilium, si placet. CA. Quid consilist?
ME. Scitum, ut ego opinor, consilium inueni. CA. Quid est?

Ter. Ad. 239. Uide, si satis placet.

Trin. 747 s. CA. Nam hercle omnia istaec ueniunt in mentem mihi.
Vide si hoc utibile magis atque in rem deputas:
Ipsum adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet.

eadem pro A *nam hercle, ipsum* B pro *ut.*

Pers. 825. SAG. Uide uero, si tibi satis placet.
TO. Me quoque uolo . . .

Ter. Ad. 239. Labascit; unum hoc habeo, uide, si satis placet.

Haec quid sibi velint, duo docent exempla, ubi pro *si* vel *sic* vel *iam* reponendum est et apposito *forte* vocabulo ad incertam rationem vel ad interrogationem res trahitur:

Ter. Hec. 320 s. PAR. Uxorem Philumenam
Pauitare nescio quid dixerunt: id si forte est, nescio.

Poen. 1063 s. AG. Patris atque matris memini. HA. Memoradum mihi,
Si noui forte aut si sunt cognati mihi.

notio ex A adfertur.

Quam pertinax hoc loquendi genus fuerit, hic locus documento sit, ubi sicut in Persae versu *satis* addito mitigatur adfirmandi vis:

Petron. 71. Inscriptio quoque, vide diligenter, si haec satis idonea tibi videtur.

Interrogantis haec videntur, quae adfirmantis primitus fuerunt: sicne non, nonne iam.

Ter. Eun. 838 s. Vide amabo, si non, quom aspicias, os inpudens
Videtur! non est? [tum] quae eius confidentiast!

In visendi verbo idem fieri nihil est quod mireris. Primum pono apertae adfirmationis, *iam* voce indicatae, et parataxeos exemplum.

Truc. 198. Vise illam: atque opperimino: iam exibit, nam lauabat.

operire ibi iam exiuit, nam lauauit P.

Bacch. 529. Ibo ut uisam huc ad eum, si fortest domi.

Ter. Phorm. 899. Demiphonem si domist, uisam.

Ter. Eun. 545 s. Idque adeo uisam, si domist, quis nam hinc ab Thaïde exit?
Is est an non est? ipsus est.

Ter. Heaut. 170. Ibo uisam, si domist.

Adfirmari potius rem quam quaeri, nedum per condicionem, cui nullus est locus, poni, et ex hoc apparet loco et ex illo:

Ter. Phorm. 194. GE. Domum ire pergam: ibi plurimumst.

Perfectum hic locum habere oportet et aoristum [1]) ingressae actionis:

Cas. 591 s. Viso huc, amator si a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatust, larua.
Sed eccum ante aedis. ad te hercle ibam commodum.
redierit a foro P.

Ter. Ad. 549. DE. Nunc redeo: si forte frater redierit, uiso.

Interrogari de simili re saepius aequum est; cuius rei ex multis exemplis pauca appono:

Mil. 536. Uide sitne istaec [domum] uostra intus. SC. Licet:
Pers. 77 s. Nunc huc intro ibi: uisam hesternas reliquias,
Quie[uene]rintne recte necne: num afuerit febris.
Stich. 456. Nunc interuiso, iamne a portu aduenerit.

Hypotaxeos in simili sententia, dissimili loquendi genere, haec tria exempla postremo addam.

Mil. 708. Uisent quid agam, quid uelim.
Mil. 1249. Immo op⟨p⟩eriamur, dum exeat aliquis.
Aul. 707. Indeque exspectabam aurum ubi abstrudebat senex.

Hac tota in re vacillare, ut iam dixi, grammaticos primigeniae *si* vocis oblitos mirum non est. C. Lindskog [2]) adfirmat *si* vim vere condicionalem his locis omnibus retinuisse. E. Becker, quem modo nominavi, dubitans putat *si* particulae condicionalis naturam atque notionem ex parte remansisse, quam quidem notionem et naturam minime huius modi in genere loquendi umquam ei infuisse vix est quod moneam. Nulla hic est condicio, ante accipienda, quae perversa esset, verum ad certam rem, *visam,* altera additur, *si domi est,* id est: sic domi inveniam. Lindsay [3]) contrariam fere sententiam amplectitur, Schmalz tum hoc, tum illud censet [4]). At facile propter incertae saepe rei rationem interrogationem, *si* vocis accentu adiutam, huius modi locis existere et vetusto iam tempore [5]) re vera exstitisse,

---

[1]) Coniunctivum interpretatur E. Becker in Studemundi studiis, I. p. 196.

[2]) De enunt. ap. Plaut. et Ter. condic. p. 79. Cfr nuperrime F. Gaffiot, Rev. phil. XXXII p. 47 s.

[3]) In syntaxi sua Plautina p. 115.

[4]) Latein. Gramm. p. 361 et 417.

[5]) Cfr exemplum quod supra pag. 5 attulimus et R. von Planta Gramm. d. osk. umbr. Dial. II p. 476; apparet tamen quam parum exculta illa aetate fuerit interrogativa hypotaxis.

postea in vulgari sermone [1]) tritum esse interrogativum *si* concedendum est. Sed de prima significatione non est cur dubites, ex qua *conabar si possem* sim. explicari vel optime possunt.

Quid si haud raro ita coniungit Plautus, vix ut ulla sit condicionis mentio. Ut *quid,* sic *si* confirmat potius quae post ponuntur. Hoc praecipue ex hortativis sententiis elucet, ubi qui *si* ponit iamiam facturus est id quod agit neque de alterius consensu dubitat; *si* est: sicne agimus, ergo, igitur, iam vel iamne.

In prima plurali persona maxime perspicua haec est significatio.

Curc. 303. PA. Te ille quaerit. PH. Quid, si adeamus? heus, Curculio, te uolo.
CV. Quis uocat?

Poen. 330. <MI.> Eunt hae. AG. Quid, si adeamus? MI. Adeas. AG. Primum prima salua sis:

Poen. 1162. Quid, si eamus illis obuiam?

Curc. 351. Quid, si abeamus, [ac] decumbamus? inquit. consilium placet:

ac delevit Reiz, cfr Lindsay ad Aulul. 784.

Poen. 1249. HA. Quid, si eloquamur? AG. Censeo hercle, patrue.

Pers. 707. Quid, si euocemus huc foras Agorastoclem.

Most. 393. DEL. Quid, si igitur abeamus hinc nos? TR. Non hoc longe, Delphium.

Cas. 357. Quid, si propius attollamus signa eamusque obuiam?

attulamus Schoell audacter; de eius modi formis cfr Guil. Noetzel, De archaismis, qui apud veteres Romanorum poetas scaenicos etc., Berolini 1908 p. 23.

In singulari prima persona paululum attenuata vis est loquendi; *si* tamen potius ex *sic* quam ex condicionali coniunctione derivandum.

Cist. 321. Quid si adeam atque appellem? mali damnique inlecebra, salue.

Curc. 145. PH. Quid, si adeam ad fores atque occentem? PA. Si lubet, neque ueto neque iubeo.

Capt. 612. Quid, si adeam hunc insanum?

Poen. 728. AG. Quid, si recenti re aedis pultem? ADV. Censeo.

Rud. 535. CH. Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?

Pers. 724. VI. Pater nunc cessat. TO. Quid, si admoneam? VI. Tempus est.

---

[5]) Etiam Vitruvii in libris, qui et *quaerebant si* dicit ex *si queat* prorsus Plautinum.

In prologo Truculenti qui respondere videtur, negat:

Truc. 6. Quid, si de uostro quippiam exorem? abnuont!

Contra instante re addit poeta *igitur*:

Most. 1093. ⟨TH.⟩ Quid, si igitur ego accersam homines? TR. Factum iam esse oportuit.

Merc. 578. [DE.] Quid, si igitur cenam faciam? hoc si censes, coquom
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat

Rud. 1274. PL. Quid, si curram? TR. Censeo. PL. An sic potius placide? TR. Censeo.

Amph. 313. ME. Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? SO. Seruaueris:

Merc. 564. LY. Quid censes? DE. Quid, si uisam? LY. Quid properas?

Ter. Heaut. 676 s. Quid, si hoc nunc sic incipiam? nil est. quid, sic? tantundem egero.
At sic opinor: non potest.

Unum adnotavi perfecti coniunctivi exemplum:

Capt. 599. Quid, si hunc conprehendi iusserim?

Iam in indicativo praesenti unus est locus, quem dubium habuit G. Lindskog [1]) haud sine causa, cum *cito* adverbium esse existimat abrupto sermone. Mihi hanc rem non liquere fateor, nam potuit hoc in praesenti re, tamquam iam ageretur, proferri [2]).

Men. 844 s. Quid, si ego huc seruos cito?
Ibo, adducam qui hunc hinc tollant et domi deuinciant,
Prius quam turbarum quid faciat amplius. MEN. enim haereo.

Indicativa ad rem confirmandam adhibentur, etiam futura; primae personae haec sunt:

Trin. 1059 s. Eo domum. CH. Heus tu, asta ilico: audi, heus tu. ST. Non sto. CH. Te uolo.
ST. Quid, si ego me te uelle nolo? CH. Aha nimium, Stasime, saeuiter.
ST. Emere meliust quoi imperes. CH. Pol ego emi atque argentum dedi:
Sed si non dicto audiens est, quid ago? ST. Da magnum malum.

---

[1]) De enunt. ap. Plaut. et Ter. condic. p. 111; cfr H. Sjögren, Zum Gebrauch des Futurums im Altlateinischen, Upsala 1906, et Lindsay in Annal. Burs. 1906 II p. 244. De tota re cfr O. Seyffert in Berolin. Hebd. 1896 p. 1293 et C. Lindskog in Erano suec. 1896 p. 185.

[2]) Cfr *voco huc hominem? iam fores ferio?* Plautina, C. Jørgensen in Festskrift til Vilh. Thomsen, København, 1894, p. 163.

Most. 581 s. DA. Quid ego huc recursem aut operam sumam aut conteram?
Quid, si hic manebo potius ad meridiem?

Merc. 907. [CHA.] Est profecto. CHA. Opta ergo ob istu⟨n⟩c nuntium quiduis tibi.
EV. Quid, si optabo? CHA. Deos orato, ut eius faciant copia⟨m⟩.

Asin. 720. Opta id quod ut contingat tibi uis. — Quid, si optaro? — Eueniet.

optabo Luebbert.

Rud. 721 s. Quid, si attigero? — Extemplo hercle ego te follem pugilatorium
Faciam . . .

In s e c u n d a et in t e r t i a p e r s o n a eandem fere reperimus significationem *si* vocis: iam, iamne.

Aul. 776. Quid, si fallis? Tum me faciat quod uolt magnus Iuppiter.

Amph. 392. SO. Quid, si falles? ME. Tum Mercurius Sosiae iratus siet.

Mil. 1417. Quid, si id non faxis?

Bacch. 35. BA. Quid, si hoc potis est, ut tu taceas, ego loquar? SO. Lepide: licet.

Mil. 341 s. PA. Quid nunc? si ea domist: si facio ut eam exire hinc uideas domo,
Dignun es uerberibus multis? SC. Dignus.

Merc. 890. EV. Potin ut animo sis tranquillo? CHA. Quid, si mi animus fluctua[n]t?

Poen. 722. Quid, si animus esse non sinit?

Asin. 195. ARG. Quid, si non est? CL. Tibi non esse credam.

Pers. 612 s. DO. Enim uolo te adesse. TO. Hau possum, quin huic operam dem hospiti
Quoi erus iussit. quid, si hic non uolt me una adesse? SA. Immo i modo.

hic si CD.

Bacch. 732. PI. Quid. si potius morbum mortem scribat? id erit rectius.

Truc. 766. Sed quid ego hic clamo? quid, si me iubeat intro mittier?

Merc. 419. CHA. Quid, si igitur reddatur illi unde emptast? DE. Minume gentium.

Quam prope absit indicativus, ut perspicias, cum hoc loco conferas illum:

Bacch. 1185. Quid tandem, si dimidium auri redditur?

Rud. 471 s. Adponam hercle urnam iam ego hanc in media uia.
Sed autem quid si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? mi exhibeat negotium.
Metuo hercle ne illa mulier mi insidias locet,
Vt comprehendar cum sacra urna Veneria.

Cas. 345. Quid, si sors aliter, quam uoles, euenerit?
Amph. 701. Quid si e portu nauis huc nos dormientis detulit?
Pseud. 539 s. Quid si hisce inter se consenserunt, Callipho,
Aut de conpecto faciunt consutis dolis.
Pseud. 286 s. CA. Quid, si non habui? BA. Si amabas, inuenires mutuom:
Ad danistam deuenires, adderes faenusculum.
Asin. 537. PH. Quid, si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.

Has omnes sententias ne decurtatas in hypotaxi esse censeas, iam illa comparanda sunt, quae apparet quam varia quanto minore vi sint dicta quam priora quae iam attulimus satis multa:

Petr. 102. quid ergo, si diutius aut tranquillitas nos tenuerit aut adversa tempestas? quid facturi sumus?
Rud. 787 s. DAE. Immo ad te accedent. LA. Non hercle equidem censeo.
DAE. Quid ages, si accedent propius? LA. Ego recessero.
Mil. 249. Sed si ambas uidere in uno miles concilio uolet,
Quid agimus? PA. Facilest. trecentae possunt causae conligi:
Pers. 369. SA. Malo cauere meliust te. VI. At si non licet,
Cauere, quid agam? nam ego tibi cautum uolo.
Pseud. 727 s. Atque qui hic non uisitatus saepe sit. CH. Si seruos est,
Numquid refert? PS. Immo multo mauolo quam liberum.

Posteriore quoque aetate in simili sententia parataxis mansit haud dubia:

Petr. 46. quid ergo est? aliqua die te persuadeam ut ad villam venias et videas casulas nostras?
Petr. 49. quid? quid? inquit porcus hic non est exinteratus? non mehercules est.

Et simile hoc est:

Ter. Eun. 636 s. Occepi mecum cogitare: hem, biduom hic
manendumst soli sine illa? quid tum postea?

Comparanda haec quoque sunt:

Mil. 1184. <PL.> Quid? ubi ero exornatus, quin tu dicis quid facturus sim?
Ter. Phorm. 211. Satine sic est? GE. Non. AN. Quid si sic?
GE. Propemodum. AN. Quid sic? GE. Sat est:

Praeterea quod multo frigidius dicitur *quod si* mutata quoque sententia, non Plautinum est et inde a Terentii aetate videtur in latinum sermonem evasisse vere hypotacticum.

In adfirmationibus haud raro ponitur *ita me di ament,*[1] quod tum simplici dicto excipitur, tum exclamatione *ut* voce saepe adiuta:

Most. 170. PHILO. Ita me di ament, lepida<st> Scapha: sapit scelesta multum.

est Gruterus addidit, dubito num recte.

Stich. 685. Ita me di ament, lepide accipi[a]mur, quo[nia]m hoc recipi[a]mur in loco.

Versum purgavit Guietus; cfr V. C. Lindström, Commentarii Plaut. p. 62.

Mil. 1403. PY. Ita me di ament, ultro uentumst ad me. PE. Mentitur: feri.

Amph. 597 s. Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
Donec Sosia <me> ille egomet fecit sibi uti crederem.

Mil. 725 s. PA. O lepidum caput. ita me di deaeque ament, aequom fuit
Deos parauisse, uno exemplo ne omnes uitam uiuerent.

Poen. 827. Ita me di ament, uel in lautumiis uel in pristino mauelim
Agere aetatem.

Poen. 289. AG. Ita me di ament, ut illa me amet malim quam di, Milphio.

Stich. 505 s. AN. Ita me di bene ament measque mihi bene seruassint filias,
Vt mihi uolup est, Pamphilippe, quia uos in patriam domum
Rediisse uideo bene gesta re ambos, te et fratrem tuom.

Trin. 1024. CH. Ita me di ament, graphicum furem. ST. Quid ego quod periit petam?

De futuro tempore atque in coniunctivo et *ita* et *si* ponitur, illud adfirmantis est, hoc potius adhortantis. Neque tamen frustra egeris, si etiam hoc loco *ita* vel *sic* pro *si* reposueris.

Trin. 447 s. PH. Homo ego sum, homo tu's: ita me amabit Iuppiter,
Neque te derisum aduenio neque dignum puto.

Mil. 571. <PE.> Ne tu hercle, si te di ament, linguam conprimes.

Mil. 293. Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam.

Neque aliter res se habet, cum indicatico usus Plautus *si te di amant* dicit.

Epid. 515. Propera igitur fugere hinc, si te di amant. FI. Abiero.

Medium quendam inter adfirmationem et cohortationem locum hoc tenet exemplum, ubi *age* Acidalius maluit scrbi, vix necessario.

Poen. 659. Tu, si te di amant, agere tuam rem occasiost.

[1] Cfr H. Blase in Arch. Woelffl. X 543 et Hist. Gramm. d. lat. Spr. III p. 118 s. 129 s.

Magis inter se differunt *ita* et *si* his detestationum in exemplis, quamquam in illis non multum abest *ita* ab *si quidem*. *Si* autem ubi ponitur nonne primitus fuit indignantis: sicine, egone?

Most. 684 s. TR. Di te deaeque omnis funditus perdant, senex:
Ita mea consilia undique oppugnas male.

Most. 655 s. TR. Malum quod isti di deaeque omnes duint:
Ita mea consilia perturbat paenissume.

Trin. 992 s. Di te perdant, si te flocci facio an periisse⟨s⟩ prius.
Ego ob hanc operam argentum accepi: te macto infortunio.
Ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interdu⟨i⟩m.

Mil. 833 s. PA. Neque tu bibisti? LV. Di me perdant, si bibi,
Si bibere potui[sti]. PA. Quid iam? LV. Quia enim obsorbui.

Aul. 645 s. EVC. Quid abstulisti hinc? STR. Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli
[EVC.] Niue adeo abstulisse uellem. ⟨EVC.⟩ Agedum, excutedum, pallium.

Si vivo, si vivam, quae una cum antecedentibus liceat tractemus, iam pro condicione nescio an recte accipiatur, ab adfirmante tamen primitus dictum: ego vero vivo.

Men. 903. Quem ego hominem, si quidem uiuo, oppido e uita euoluam sua.
Bacch. 1034. Sescenta tanta reddam, si uiuo, tibi.
Pseud. 1325. SI. Erit ubi te ulciscar, si uiuo. PS. Quid minitare? habeo tergum.
Most. 1168. ⟨TH.⟩ Interimam hercle ego ⟨te⟩, s⟨i⟩ uiuo. CA. Fac istam cunctam gratiam.

Aul. 573. MEG. Ego te hodie reddam madidum, si uiuo, probe.
Most. 1067. Quoius ego hodie ludificabor corium, si uiuo, probe.
Bacch. 766. Vorsabo ego illunc hodie, si uiuo, probe.
Cas. 115. quot te modis,
Si uiuo, habebo in nuptiis miserum mihi.
Most. 4. Ego pol te ruri, si uiuam, ulciscar probe.
Pers. 786 s. Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis cogam, si uiuam
Si quidem huc umquam erus redierit eius, quod spero — sed quid ego aspicio?

Similia haec sunt:

Pseud. 722 s. CA. Quid nunc agimus? PS. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egone? PS. Tu istic ipsus, inquam, si quidem hoc uiuet caput:

Si modo mihi hominem inuenietis propere.

Aul. 425. Sine, at hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit.

malo tuo magno libri, transposuit Hare.

Concessivas sententias paratactice proferri apud veteres notum est; pauca quaedam exempla hic adfero, viam ad paratacticum *si (etsi)* patefacturus.

Most. 534 s. A mani a⟨d⟩ noctem usque in foro dego diem:
Locare argenti nemini nummum queo.

Mil. 350 s. Nam illic noster est fortasse circiter triennium:
Nec quoiquam quam illi in nostra meliust famulo familia.

illi codices.

Pers. 264. Diu quo bene erit, die uno absoluam: tuxtax tergo erit meo: non curo.

quod P.

Ter. Ad. 174. Non innueram: uerum in istam partem potius peccato tamen.

Petron. 34. heri non tam bonum posui, et multo honestiores cenabant.

Hoc qui sequitur loco si pro *ita* positum esset *si,* prorsus eodem, ni fallor, sensu demonstrativo, quis non hypotaxin diceret?

Pers. 284. SA. Video ego te: iam incubitatus es. PAE. Ita sum: quid id attinet ad te?

Similis est locus, ubi *ita* particulae, sicut *si* voci, respondet *at* et concessivo, qui in priore enuntiato est, sensui. Idem agunt *sed* et *verum* omisso quoque *ita.*

Ter. Andr. 563. CH. Tibi ita hoc uidetur: at ego non posse arbitror.

Ter. Andr. 679. Parum succedit quod ago: at facio sedulo.

Mil. 679 s. Nam mihi deum uirtute dicam propter diuitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere:
Sed nolo mihi oblatratricem in aedis intro mittere.

Mil. 152. Atque eadem erit, uerum alia esse adsimulabitur.

Imperativae voces haud raro in vividiore concessione Plautina audiuntur, quarum magis memorabilia quaedam adfero:

Mil. 355. PA. At metuo ut satis sis subdola. PH. Cedo uel decem edocebo . .

ut omisit A.

Mil. 658 s. ⟨PA.⟩ Cedo tris mi hominis auric⟨h⟩alco contra cum istis moribus.
PL. At quidem illuc aetatis qui sit non inuenies alterum . . .

Mil. 1423. De tunica et chlamyde et machaera nequid speres: non feres.

In vulgi sermone quanta vi concessiva ratio proferri potuerit, ex hoc Petronii loco apparet:

Petr. 57. tibi soli ridiclei videmur: ecce magister tuus, homo maior natus: placemus illi.

Iam ad *si* transeuntes ex more nostro ei has vindicamus significationes primigenias: sic est, sic, hac in re, ergo, igitur, iam; respondent *at, hercle, neutiquam, nilo magis, tamen, tam, certe, saltem,* cetera [1]).

Men. 746. MA. Si me derides, at pol illum non potes . . .
Men. 670. Si tibi displiceo, patiundum: at placuero huic Erotio.

Post ponitur *si,* vix minore vi:

Rud. 1400. Non hercle istoc me interuortes, si aliam praedam perdidi.

Mil. 631. PA. Si albicapillus hic, uidetur neutiquam ab ingenio senex: *ab* omisit Nonius; *ibi* codices. Leonem secutus sum.

Amph. 908. Si dixi, nilo magis es neque ego esse arbitror . . .

Hoc loco purgari se voluit Iuppiter Alcumenae, itaque peccatum a se fatetur: sic est, dixi. Simile hoc est exemplum, ubi dicendi impetu sensuum ordo rumpitur:

Bacch. 1014. Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.

Demonstrative et paratactice res proferri, non condiciones, in primis docet *si quidem:* sic vero est.

Most. 229 s. PHILO. Si quidem hercle uendundu[m]st pater, uenibit multo potius,
Quam te me uiuo umquam sinam egere aut mendicare.
Rud. 1361. DAE. Tuosne est? LA. Rogitas? si quidem hercle Iouis fuit, meus est tamen.

Confitentis quamvis inviti hoc quoque est, vel fuit tale quidem primitus: [2])

Ter. Phorm. 295 s. uerum si cognatast maxume, non fuit necesse habere.

---

[1]) Cfr C. Lindskog, De enunt. ap. Plaut. et Ter. condic. p. 88.

[2]) De *si maxume* cfr O. Seyffert in Hebd. Berolin. 1904 p. 140, ubi tamen hoc ipso loco ad *cognata* vix recte *maxume* trahit.

Repetitis quoque vocabulis, pari praesertim ordine, adversativa et demonstrativa potius vis premitur quam hypotactica ratio, ut his locis:

Rud. 1075. Si ille te comprimere solitus⟨t⟩, hic noster nos non solet.
Most. 42 s. Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Si tu oles.

In negativa sententia remanet haud raro *si* vocis significatio primigenia: sic est, ergo, igitur.

Amph. 929 s. Iuben mi ire comites? IV. Sanan es? AL. Si non iubes,
Ibo egomet: comitem mihi Pudicitiam duxero.
Trin. 606 s. (CA). Non credibile dices. ST. At tu edepol nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero — CA. Quid? ST. Me nil⟨i⟩ pendere.

dicis Itali. *tua* et *credas* codices.

De interrogativo *si* hoc loco cogitari potest: hac in re nonne.

Asin. 173. AR. Male agis mecum. CL. Quid me accusas, si facio officium meum.

Merc. 155. Quin iam prius quam sum elocutus scis, si mentiri uolo.
scisset, scisse, codices, *scis sei* Lindsay.

Hunc locum cum obliquis interrogationibus vix recte comparavit Ed. Becker [1]); *si* autem est: sic est.

In re infinita attenuatur vis *si* vocis demonstrativa et paratactica.

Mil. 747. Si illis aegrest mihi id quod uolup est, meo remigio rem gerunt.

Et si non diiunxi, quamvis duarum illarum vocum origo multis appareat Plauti locis. Apud hunc tamen poetam rarius ponitur quam apud Terentium, *si* ille maluit et *tam etsi;* contra *tamen etsi* rarissimum [2]). *Et si* autem fuerunt primitus: etiam sic est, etiam sic; neque enim dubium est, quin *et* post demum in copulativam vim abierit [3]).

---

[1]) In Studemundi studiis I p. 195.

[2]) Cfr. H. Kriege, De enuntiatis concessivis apud Plautum et Terentium, Halis Sax. 1884. — De *etsi* vocis in parenthesi usu cfr A. Roschatt, Ueber den Gebrauch der Parenthese in Ciceros Reden, Erlangen, 1883, p. 28.

[3]) De *et* cfr A. Walde, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1905, p. 198.

Trin. 527. <LE.> Consuadet homini, credo. etsi scelestus est,
At mihi infidelis non est. ST. Audi cetera.
Most. 854 s. Tranio, age canem istanc foribus abducant face,
Etsi non metuendast.
Bacch. 1160. Sed quid istuc est? etsi iam ego ipsus quid sit prope scire puto me:
Bacch. 1191. NI. Age iam, id ut ut est, etsist dedecori, patiar, facere inducam animum:

dedecori Ritschl, *dedecorum* codices.

Repetita etiam hoc in usu vocabula vim augent *si* vocis demonstrativam: etiam sic, et tamen.

Pers. 272. . . . propero. SA. Mane, etsi properas.
Mil. 407. SC. Nil habeo certi quid loquar. non uid<i> eam, etsi uidi.
Mil. 532. PE. Quid igitur? eanest? SC. Etsi east, non est ea.
Pers. 655. TO. Audin quid ait? VI. Nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen.

Haec quae sequuntur exempla *tamen etsi* [1]) coniunctionis originem explicant:

Cas. 957. Nugas istic dicere licet: uapulo hercle ego inuitus tamen
Etsi malum merui.
Mil. 1209 s. Deos sperabo teque. postremo tamen
Etsi istuc mihi acerbumst, quia ero te carendumst optumo,
Saltem id uolup est, quom ex uirtute formae euenit tibi
Mea opera super hac uicina, quam ego nunc concilio tibi.

forme venit codices, Camerarius correxit.

Antiquius videtur fuisse *tametsi,* quod primitus nescio an fuerit: tantum etiam sic.

Amph. 977. Audis quae dico, tametsi praesens non ades.
Stich. 41 s. Quam ob rem ego te hoc, soror, tametsi's maior,
Moneo ut tuom memineris officium.

Soror ego hoc te A.

Mil. 744. Tametsi dominus non inuitus patitur, serui murmurant.

Cum coniunctivis vel optativis vel potentialibus positum *si* haud raro suam vim nativam retinet; apertae sine *si* parataxeos exempla tamen prima ponam haec tria:

Most. 526. TR. Nil me curassis, inquam: ego mihi prouidero.
Pers. 268 s. quid faciet mihi?
Verberibus caedi iusserit, compedes inpingi, uapulet,

1) De *tamen* vide quae ab H. Karsten in Mnemosyne 1890 p. 307 s. et in Annal. Bursian. 1895 vol. LXXX p. 317 s. sunt exposita.

Ne sibi me credat supplicem fore. uae illi, nil iam mihi noui
Offerre potest quin sim peritus.

mihi iam nihil P.

Pseud. 476 s. (SI.) Quid censes? CA. Edepol merito esse iratum
Quom apud te paruomst e(i) fides, arbitror. SI. Iam sic sino
Iratus sit: ego nequid noceat cauero.

sine Brix.

Sequuntur in personas distributa *si* (vel *etsi*) vocis exempla: sic est, sic, iam; primae haec sunt personae.

Pseud. 265 s. BA. Respiciam istoc pretio: nam si sacruficem summo Ioui
Atque in manibus exta teneam ut poriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram.

Truc. 877. DI. Factum cupio: nam nefacere si uelim, non est locus.

Secundae personae hi sunt loci.

Bacch. 1002 s. Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si iubeas maxume.

Amph. 450 s. ME. Quo agis te? SO. Domum. ME. Quadrigas si nunc inscendas Iouis
Atque hinc fugias, ita uix poteris effugere infortunium.

Truc. 815. ANC. ⟨I⟩de⟨m⟩ istuc ipsa, etsi tu taceas, reap⟨se⟩ experta intellego.

Codices suppleverunt Kiessling et Camerarius.

Aul. 311. STR. Famem hercle utendam, si roges, numquam dabit.

Amph. 818 s. AM. Tun[e] mecum fueris? quid illac inpudente audacius?
Saltem, tute si pudoris egeas, sumas mutuom.
AL. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.

Non potes capere codices, correxit Muretus.

Bacch. 128. Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

Mil. 803 s. PE. Non potui⟨t⟩ reperire, si ipsi Soli quaerendas dares,
Lepidiores duas ad hanc rem quam ego; habe animum bonum.

Hiatum in v. 804 alii aliter expleverunt.

Tertiae personae sunt:

Most. 912. TH. Di immortales, mercimoni lepidi. ⟨si⟩ hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria,
Numquam accipiam. TR. Si ⟨h⟩ercle accipere cupias, ego numquam sinam.

si priore loco inseruit Camerarius.

Curc. 210 s. PL. Facito ut memineris: tene etiam prius quam hinc abeo sauium.
PH. Si quidem hercle mihi regnum detur, numquam id potius persequar.

Mil. 188. Si quidem centiens hic uisa sit, tamen infitias eat.

Pseud. 433 s. Sed si sint ea uera, ut nunc mos est, maxume,
Quid mirum fecit?

Most. 351. Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.

Trin. 1185 s. [CA.] Miseria ⟨una⟩ uni quidem hominist adfatim. CA. Immo huic parumst:
Nam si pro peccatis centum ducat uxoris, parumst.

una addidit Lambinus.

Ter. Eun. 49. Exclusit, reuocat: redeam? non, si me obsecret.

Ante posito *si* vix minor est vis demonstrativa:

Truc. 855. Si alia membra uino madeant, cor sit saltem sobrium.

Aul. 99 s. Atque etiam hoc praedico tibi,
Si Bona Fortuna ueniat, ne intromiseris.

Men. 422 s. Eum uolo intromitti. ER. Ecastor haud inuita fecero.

Inseritur alteri sententiae id enuntiatum, ubi *si* est, his locis; ibi iam fere ad hypotaxin res abiit.

Mil. 763 s. PA. Bonus bene ut malos desc⟨r⟩ipsit mores. PE. Haud centesuma⟨m⟩
Partem dixi atque, otium rei si s[t]it, possum expromere.

rei si sit Pylades scite ex codicibus.

Mil. 170. ⟨PA.⟩ Quid agis, Periplectomene? PE. Hau multos homines, si optandum foret,
Nunc uidere et conuenire quam te mauellem. PA. Quid est?

fuerit P, quae praeterea incerta sunt, minus ad nos.

Ut antea, sic in concessiva ratione pauca ex multis subiungo exempla relativa, *quamquam, quom, qui*.

Mil. 1354 s. Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi
Quam me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium.

Mil 1231 s. MI. Spero ita futurum. quamquam illum multae sibi expetessunt,
Ille illas spernit segregat [h]a⟨b⟩ s[c]e omnis extra te unam.

Mil. 758. PE. Sed ⟨e⟩idem hominis numquam dicunt, quamquam adpositumst ampliter . . .

Pers. 355 s. VI. Pater, hominum immortalis est infamia,
Etiam tum uiuit, quom esse credas mortuam.

